


Jahresbericht

über das

Gymnasium Leopoldinum und die damit verbundenen Realklassen zu Detmold.

Schuljahr 1864—1865.

Detmold, 1865.
Gedruckt in der Meyer'schen Hofbuchdruckerei.

Ex eo quum viri summi ingenii et summae doctrinae Boeckhius, C. F. Hermannus, Schoemannus instituerunt, ut planam atque expressam effigiem rerum publicarum Graecarum nobis ante oculos ponerent, in dies accrevit numerus eorum, qui in antiquitates Graecas cognoscendas studia conferrent. Ita factum est, ut permulta, quae antea obscura vel parum nota erant, iam explicata atque illustrata sint. Quum autem antiquitates omnia instituta publica et privata, res humanas atque divinas amplectantur, non est mirum, quamvis enixe opera in iis collocata sit, nondum in omnibus partibus earum satis elaboratum esse. Ex iis rem militarem Atticam esse putaverim, cuius accurata enarratio deesse videtur. Ob hanc caussam in ea cognoscenda aliquantum temporis et operae consumpsi, haut tamen ignarus, me pro exiguis viribus minime parem esse, ut hanc totam quaestionem cum eventu quodam pertractarem. In iis, quae sequuntur, non nisi singula capita foras do, quibus de magistratibus militaribus, imprimis de praetoribus Atheniensium (quo nomine significare licet τοὺς στρατηγοὺς Ἀθηναίων), de partibus exercitus, de stipendio militari agitur. Plurima nobis tradita sunt a rerum scriptoribus Herodoto, Thucydide, Xenophonte et a decem oratoribus Atticis. Neque tamen omisi, quae Harpocration, Hesychius, Suidas, Pollux, quae Plutarchus, Polyaenus, complures alii auctores attulerunt, etsi pauca tantum sunt. Tum ex inscriptionibus Graecis, quas viri doctissimi Boeckhius et Rangabé ediderunt, eas contuli, quae ad rem militarem spectant. Accedunt commentationes, quas plurimas homines docti de singulis quaestionibus scripserunt.

De magistratibus militaribus.

Athenis postquam novem archontes sunt constituti, summum belli erat apud polemarchum, tertium ex ordine archontum. Eum toti rei militari praefuisse, e nomine eius consequitur. Quomodo autem res bellicas administraverit, de ea re nihil certi traditum est; unicum exemplum, quo bellis gerendis polemarchum interfuisse firmatur, exstat apud Herodotum. [1]) Unde primum apparet, polemarchum ab Atheniensibus sorte esse creatum, quam Clisthenem instituisse Athenis veri simile est, tum eum aeque ac praetores suffragium tulisse in rebus bellicis, ita ut, si praetores, qui erant decem, de aliqua re dissentirent, ille suffragio suo rem discerneret. Quum autem antea ex honoribus regis fuisset, ut dextrum cornu duceret, iam polemarchus ei praeerat; [2]) neque tamen in proelio ipso maior fuisse videtur potestas eius quam praetorum. Posteriori aetate negotia militaria polemarchi magis magisque evanuerunt, neque reliqua erant nisi certa quaedam vestigia, quae priorem operam rei militari praebitam indicabant. Ita legimus polemarchum sacrificasse Enyalioni, [3]) ludos funebres caesis bello instituisse. [4]) Tandem iurisdictioni operam navavit, atque penes eum ea erat potestas metoecorum, quae civium Atheniensium penes archontem. [5])

Quotannis decem praetores esse creatos constat [6]) plurimis testimoniis, quae apud scriptores Graecos inveniuntur. Ac primum quidem agam de ratione, qua Athenienses usi sint in creandis praetoribus, quum apud Demosthenem tria genera creandi magistratus afferantur, *ἀρχαὶ κληρωταί, χειροτονηταί, αἱρεταί*. Inter haec duo vix discrimen aliquod intercedere nuper Boeckhius [7]) demonstravit, quod firmatur verbis,

---

1) Cfr. Her. VI, 109: *ἦν γὰρ ἑνδέκατος ψηφιδοφόρος ὁ τῷ κυάμῳ λαχὼν Ἀθηναίων πολεμαρχέειν, τὸ παλαιὸν γὰρ Ἀθηναῖοι ὁμόψηφον τὸν πολέμαρχον ἐποιεῦντο τοῖσι στρατηγοῖσι.*

2) Cfr. Her. VI, 111: *τοῦ μὲν δεξιοῦ κέρεος ἡγέετο ὁ πολέμαρχος Καλλίμαχος.*

3) Cfr. Pollux VIII §. 91.

4) Cfr. Pollux l. l.

5) Cfr. Suidas s. v.: *διοικεῖ δὲ οὗτος ἄλλα τε καὶ ἐσάγει δίκας τάς τε τοῦ ἀποστασίου καὶ ἀπροστασίου καὶ κλήρων καὶ ἐπικλήρων τοῖς μετοίκοις καὶ τἄλλα ὅσα τοῖς πολίταις ὁ ἄρχων ἐστί, ταῦτα τοῖς μετοίκοις ὁ πολέμαρχος.* Cfr. Pollux VIII §. 91; cfr. Lysias c. Pancl. §. 2: *προσεκαλεσάμην πρὸς τὸν πολέμαρχον, νομίζων, μέτοικον εἶναι.* Cfr. §. 13.

6) Cfr. Suidas s. v. Harpocration s. v. Sigonius de republ. Athen. lib. IV. c. 5.

7) Cfr. Boeckh.: Ind. lectt. Ber. 1830. Tittmann: Descr. rer. publ. Graec. p. 305 n. 58.

quae apud Aeschinem legimus c. Timarch. §. 21: *μηδὲ ἀρχὴν ἀρχέτω μηδεμίαν μήτε κληρωτὴν μήτε χειροτονητήν.* Praetores igitur quotannis in concione populi creabantur *χειροτονίᾳ* vel *αἱρεσίᾳ*, cuius rei testis est Pollux VIII. §. 87: *καὶ στρατηγοὺς χειροτονεῖν.* Numerum constat fuisse decem, [8]) ita tamen ut ad singulas expeditiones faciendas non semper proficiscerentur omnes praetores, sed posteriori potissimum tempore pauci tantum, tres vel quatuor. Hac in re valuisse gravitatem belli gerendi et numerum copiarum emittendarum facile apparet. Antiquissimum exemplum, quo omnes decem praetores in bellum profectos esse traditur, nobis servatum est in pugna Marathonia, in quam Miltiadem cum novem aliis exiisse apud Herodotum legimus. [9]) Illis vero temporibus, quibus omnes decem proficiscebantur praetores, quum grave periculum toti reipublicae immineret, res ita erat instituta, ut summum imperium (*πρυτανεία τῆς ἡμέρας*) in dies mutaretur. [10]) Ea mutatio facta esse videtur secundum ordinem tribuum, qui per annum ex prytaniis constituebatur, ut praetores e singulis tribubus electi secundum prytaniam tribuum per vices quotidie summum imperium obtinerent. Quum igitur decem crearentur praetores, ad singulas expeditiones unus vel duo vel tres proficiscebantur: ita in Siciliam non plures quam tres sunt missi, quod mirum non est, quia ceteris quoque expeditionibus faciendis praetores remanerent necesse erat.

Difficillima quaestio oritur, quando sint creati praetores. Fere omnes magistratus creatos esse anno exeunte constat, ita tamen ut non acquiescendum putem in illo testimonio, quod exstat apud Demosthenem, qui dicit, quatuor postremis diebus magistratus esse creatos. [11]) Quod tueri conati sunt homines quidam docti, [12]) sed eos assecutos esse, quod voluerunt, vix dici potest. Nam videamus, quot magistratus brevi quatuor dierum spatio creandi fuerint. Primum senatores quingenti, archontes, thesmothetae, scribae senatus, iudices, diaetetae, viri qui dicuntur undecim, logistae, custodes thesauri et deae Minervae et reipublicae], pontifices, athlothetae, coactores, custodes fori, portitores, praefecti mensuris et ponderibus alii in Thesei templo a thesmothetis fabis deligebantur, tum praefecti tribuum, phratriarchi, trierarchi, choregi,

---

8) Cfr. Thuc. II, 13: *Περικλῆς στρατηγὸς ὢν Ἀθηναίων δέκατος αὐτός.*

9) Cfr. Her. VI, 103: *ἦγον δὲ σφέας στρατηγοὶ δέκα, τῶν ὁ δέκατος ἦν Μιλτιάδης.*

10) Cfr. Her. VI, 110: *ὡς ἑκάστου αὐτῶν ἐγίνετο πρυτανηΐη τῆς ἡμέρης.*

11) Cfr. Dem. Androt. prooem.: *καὶ τὰς μὲν δ᾽ ἡμέρας ἐκάλουν οἱ Ἀθηναῖοι ἀρχαιρεσίας ἐν αἷς ἄναρχος ἡ Ἀττικὴ ἦν.*

12) Cfr. Peterssen: Zeitschr. f. Alterth. 1846 p. 587.

gymnasiarchi, omnes qui muneribus militaribus fungebantur, legati, praefecti vecigalium, alii permulti, quos enumerare longum est, in populi comitiis creabantur. De comitiis, quomodo habita sint, vix certi quid traditum est. Quum autem in creandis rei militaris praefectis archontes comitiis praeessent, aliis creandis prytani praefuisse videntur, [13]) a quibus populo nomina eorum indicabantur, qui ad munus aliquod adipiscendum nomina professi erant, vel qui ab ipsis proponebantur. Adde huc quod oratores coram populo homines alius alium aptum idoneumque commendabant et in ipsis comitiis quidem. [14]) Porro velim reputes, nonnullos eorum, qui nomina professi vel propositi erant, populi suffragio non inscriptos in catalogum candidatorum sed refutatos esse. Accedit tertium, quod gravissimum Schoemannus addidit, omnibus magistratibus, antequam ad munus accederent, subeundam fuisse spectationem publicam legibus sancitam (*δοκιμασία*). Num igitur credamus, intra quatuor dies spectatos quoque esse magistratus, qua in re homines ad munus aliquod designatos interrogatos esse scimus, num originem ducerent a parentibus Atheniensibus tertio gradu, num officiis erga parentes non defuissent, num patrimonium non profudissent, num stipendia meruissent, num corpore essent incolumes, alia? Atque insuper in spectandis magistratibus accusationes et defensiones fuisse apparet ex oratione Lysiae: *περὶ τῆς Ἐυάνδρου δοκιμασίας*. Attamen necesse erat, homines creatos anni principio magistratum statim inire. Quae quum ita sint, non acquiescendum esse crediderim in iis, quae in prooemio illo legimus, quo loco ne de verbis quidem legendis in codicibus constat. Magistratus in universum postremo anni tempore id est Scirophorione mense constat esse creatos, sed vix certi quid statui posse videtur, quibus et quot eius mensis diebus creatio facta sit.

Itaque iam nos vertamus ad *ἀρχαιρεσίας*, [15]) quibus praetores et hipparchi creati sunt. [16]) Qui quum essent e magistratibus suffragio creandis, in comitiis, in quibus ceteri, creati esse videntur. Hanc sententiam tuitus est Boeckhius atque rem exploratissimam esse demonstravit, quum praetores sine dubio munus iniissent mense Hecatombaeone, id est aestate, et comitia acta essent anni quadrante extremo. Pendet haec quaestio quodammodo ex altera, quando primum acta sit fabulaAntigona, de qua

---

13) Cfr. Schoemann: Antiqq. Graec. I. p. 393.

14) Cfr. Demosth. d. coron. §. 149.

15) De tota re cfr. Seidleri commentat. ad Soph. Antig. p. LXXV. seq. Wex ad Soph. Antig. prolegg. cap. I. p. 21. 22. von Leutsch. Philol. I. p. 481. Krueger: Quaest. hist. - philol. I. p. 164.

16) Cfr. Aesch. c. Ctesiph. §. 13: *κἀκείνας* (sc. *εἶναι*) *ἀρχάς, ἃς ὁ δῆμος εἴωθε χειροτονεῖν ἐν ἀρχαιρεσίαις στρατηγοὺς καὶ ἱππάρχους.*

re certiores nos fecit grammaticus Aristophanes, qui in fabulae argumento dicit: *φασὶ δὲ τὸν Σοφοκλέα ἠξιῶσθαι τῆς ἐν Σάμῳ στρατηγίας, εὖ δοκιμήσαντα ἐν τῇ διδασκαλίᾳ τῆς 'Αντιγόνης.* Mentio igitur fit expeditionis Samum factae, in qua ad Sophoclem propter fabulam praeclare actam munus praetoris delatum est. Quum autem duas factas esse Samum expeditiones sciamus, [17]) e locis Thucydidis et Strabonis comparatis colligi posse videtur, alteri expeditioni interfuisse Sophoclem. De anno, quo facta sit illa expeditio, quum Diodoro fidem habendam non esse recte iudicasse videatur Seidlerus, cum hoc annum fuisse primum Ol. LXXXV (= 440 a Chr. n.) archonte Morychide statuimus. Inde profectus Boeckhius anno, qui anteibat expeditionem, sive primo anno Ol. LXXXV sive quarto anno Ol. LXXXIV facta sit, Antigonam fabulam primum actam esse censet *ἐν τοῖς Διονυσίοις μεγάλοις*, quae celebrabantur mense Elaphebolione, atque credibile esse, Sophoclem statim insequentibus comitiis praetorem in annum, qui sequebatur, designatum esse, ita ut primo mense anni Hecatombaeone munus iniisset. Apparet certas caussas non attulisse Boeckhium, sed imprimis in eo acquievisse videtur, quod ceteri quoque magistratus mense Scirophorione creati Hecatombaeone mense munus ingressi sunt. Quod quum in universum a vero abhorrere non videatur, diligentius tamen in eam rem inquirendum est, quia difficultates exstant, neque ea quae de hac re tradita sunt, certam rationem praebere videntur.

Priusquam tamen ad ipsam rem accedamus, alia oritur quaestio de praetoribus ordinariis et extraordinariis. Statui solent duo genera praetorum, ordinariorum et extraordinariorum; ordinarii decem in unumquemque annum, sive bellum imminebat sive omnia pacata erant, creabantur, extraordinarii ad expeditiones subito et praeter opinionem faciendas, quum ordinarii praetores ad res bellicas incumberent, eligebantur. Quotannis creatos esse praetores patet inde, quod inter magistratus suffragio creatos primum locum obtinebant, neque solum rei militari operam dabant, sed etiam pacis certa negotia iis obeunda erant. Non tamen mirum est, quod apud scriptores ex quibus optime cognoscimus rem militarem, Thucydidem et Xenophontem, decem omnium nomina non solent enumerari, sed ii tantum nominantur, qui expeditioni

17) Cfr. Thuc. I, 117. Diodor. XII, c. 27. Strabo XIV c. 1 §. 18: *'Αθηναῖ οἱ πέμψαντες στρατηγὸν Περικλέα καὶ σὺν αὐτῷ Σοφοκλέα τὸν ποιητὴν πολιορκίᾳ κακῶς διέθηκαν ἀπειθοῦντας τοὺς Σαμίους.*

faciendae praeerant vel qui in tota republicâ auctoritate valebant. [18]) Ad singulas autem expeditiones quinam praetores emitterentur, populus Atheniensium ipse decernebat idemque numerum copiarum statuebat. [19]) Ita populi decreto extraordinaria facta est creatio Cleonis, de qua multis verbis agit Thucydides IV, 28. 29. Ante bellum Peloponnesiacum praetores extraordinarios creatos non esse, vix certo testimonio firmari poterit.

De tempore anni, quo creati sint praetores, num Boeckhius recte iudicaverit, qui eos eodem tempore quo archontes, id est Hecatombaeone, mense creatos esse censet, in dubium vocari potest. Nam primum inter munera archontum et praetorum nulla intercedit ratio, quae ut eodem tempore eos munus iniisse statuamus caussam afferat, praesertim quum illi sorte, hi suffragio designati sint. Archontes enim, quamquam eponymi, regis, polemarchi propria quaedam negotia erant, omnes tamen iudiciis et diversis quidem eorum generibus praeerant, ut ad ea munera administranda nihil referret, si aestate magistratu abirent et alii in eorum locum succederent. Aliter tamen iudicandum est de praetoribus. Scirophorione mense si praetores creati essent, initium muneris eorum medio anno fuisset, ipsa aestate, quod ad bella gerenda minime aptum apparet. Notum enim est, bella plerumque initio veris geri coepta esse, ut reliquum tempus anni ad ea perficienda sufficeret. Vix tamen bene ac prospere procedere potuisset bellum, si praetores media in re magistratu abiissent et alii in locum eorum successissent, qui consilia ab illis capta ignorarent et quos totam belli rationem denuo penitus cognoscere necesse erat. Hanc difficultatem Seidlerus primus vidit recteque addidit, ad bellum parandum praetoribus aliquo temporis spatio opus fuisse. Quum autem a veteribus scriptoribus nihil certi traditum sit, alius aliam viam ingreditur, ut aliquod rei afferat lumen. Recte monuit Seidlerus, creationes, quas Thucydides et Xenophon commemoraverunt, non nisi caussa certa addita pro extraordinariis habendas esse. Quum autem hi scriptores in anni tempore describendo aestatem et hiemem discernere soleant, Seidlerus omnes creationes ordinarias hieme factas esse censet. Neque tamen idonea sunt exempla, quae id prorsus nobis persuadeant. Quod ille primum affert Thuc. III, 115, ubi legimus, Lacheti praetori in Sicilia successorem Pythodorum datum esse, non est quo ipsius sententia firmetur. Non recte enim dicit,

---

18) Ita Pericles nominatnr a Thuc. II, 13: *στρατηγὸς ὢν Ἀθηναίων δέκατος αὐτὸς*, quia vir erat auctoritate gravissimus, et II, 55: *στρατηγὸς ὢν*, dum conlegae eius *ξυστράτηγοι ὄντες Περικλέους* memorantur in singulis expeditionibus. Cfr. II, 58.

19) E plurimis exemplis addere liceat Thuc. II, 69: *Ἀθηναῖοι ναῦς ἔστειλαν εἴκοσι καὶ Φορμίωνα στρατηγόν.*

deesse testimonia, quibus remotum a munere Lachetem esse probetur nec caussam idoneam apparere, cur id factum sit. Nam legimus apud scholiasten [20]) ad Ar. vesp. 240, Lachetem propter accusationem ab Atheniensibus esse revocatum; itaque Pythodorum praetorem extraordinarium esse missum statuendum hic erit. Aliud exemplum affert Seidlerus ex Thucyd. III, 114, ubi narratur Demosthenem praetorem domum rediisse hieme anni 426. Male rem gesserat contra Aetolos, postea prospere contra Ambraciotas, tum domum rediit, non ut alter praetor in locum eius succederet, sed quia bellum erat finitum. Legimus enim, cum Ambraciotis Acarnanes et Amphilochos foedus iniisse centum annorum, itaque debellatum esse. Quidni igitur praetor domum rediret, quum res ei non iam essent gerendae? Quare neque dignitate eum esse exutum neque tempus muneris exiisse crediderim, sed revertit Demosthenes, quia bellum erat finitum. Itaque nihil certi ex illis locis concludi potest, id quidem quod Dodvellus voluit, inde non patet, praetores mense Gamelione munus iniisse. Neque e Xenophontis Hellen. I, 4, 10, quem locum idem affert Seidlerus, certi quid de mense colligi posse videtur. Narratur, quae gesserint praetores Alcibiades, Thrasybulus, Thrasylus; hunc Athenas rediisse cum exercitu, prius tamen, quam illuc venisset, Athenienses praetores creasse Alcibiadem absentem, Thrasybulum, Cononem. Alcibiades, Athenienses benevolos sibi esse ratus, Athenas revertit eo die, quo urbs Plynteria celebrabat, quae aot aesse die vicesimo quinto mensis Thargelionis constat. [21]) Ante reditum, sed post creationem praetorum eum Samo Parum navigasse, inde Gythium in sinu Laconico situm, inde Athenas revertisse Xenophon tradit. Nisi igitur putemus, Alcibiadem in ea navigatione tempus circiter quatuor mensium consumpsisse, quod sane a vero abhorret, praetores Gamelione mense creati esse non possunt. Alium igitur fructum ex illo loco non percipimus, nisi quod hieme exeunte creatos esse praetores cognoscimus. De creatione usitata et ordinaria Alcibiadis, Thrasybuli, Cononis dubitari vix poterit. Tertius locus, qui fortasse aliquam lucem toti quaestioni afferre potest, est apud Xen. in Hell. I, 5. 16. Alcibiades postquam Thargelione mense rever-

---

20) Cfr. schol. ad Ar. vesp. 240: *ἢ δίκη ἢ τιμωρία ἢ τοιοῦτόν τι. τοῦτο δέ φησιν ὡς τοῦ Κλέωνος εἰς δίκην ἐπαγαγόντος τὸν Λάχητα, στρατηγῆσαι δὲ αὐτόν φησι Δημήτριος ἐπὶ ἄρχοντος Εὐκλέους* (Ol. 88, 2 = 427 cfr. Thuc. III, 86) *πρὸ τριῶν ἐτῶν εἰς Σικελίαν πεμφθέντα μετὰ νεῶν Λεοντίνοις βοηθήσαντα. — εἰκὸς γοῦν μετακληθῆναι αὐτὸν ἐπὶ τὴν κρίσιν, ἣν νῦν ὁ κωμικὸς μνημονεύει.* Cfr. Bergk. ap. Meineck: Fragmta com. Graecor. II, p. 1116. Mein. com Gr. II, p. 538.

21) Cfr. Plutarch Alcib. c. 34: *Ἡι γὰρ ἡμέρᾳ κατέπλευσεν, ἐδρᾶτο τὰ Πλυντήρια τῇ θεῷ. Δρῶσι δὲ τὰ ὄργια Πραξιεργίδαι Θαργηλιῶνος ἕκτῃ φθίνοντος.*

sus criminationes a se amolitus est, in annum 407 (Ol. 93, 2) iterum praetor *αὐτοκράτωρ* creatus *μετὰ τὸν κατάπλουν τρίτῳ μηνί* Andrum et inde paucis diebus post Samum cursum direxit, ut ibi bellum gereret. Quum autem Thargelione mense revertisset, Metageitnione eum Athenas reliquisse apparet. Re apud Notium male gesta Athenienses de strage illic accepta certiores facti, quum negligentia et incontinentia Alcibiadis naves esse perditas arbitrarentur, [22]) decem alios crearunt praetores. [23]) Quod hieme factum esse videtur, sed quo mense munus inierint, equidem investigare non potui. [24]) Decem praetores illuc missi utrum ordinarii fuerint an extraordinarii, in dubium vocari potest. Tenendum est, Alcibiadem fuisse praetorem *αὐτοκράτορα*, penes quem igitur singularis quaedam erat potestas, maior quam ceterorum praetorum, ita ut ei maxime Athenienses irascerentur, quippe ad quem unum summa rerum delata esset. Itaque Alcibiadem Athenas non reversum in castellum ad Bisanthen sese recepisse [25]) narratur. Ordinarii mihi illi decem praetores fuisse videntur, sed extra tempus, quo fieri solebat itaque extraordinario quodam modo creati. E verbis scriptoris non consequi videtur, Alcibiadem, quum annus praeturae exactus esset, in insequentem annum non iterum esse lectum, sed Athenienses, cladis nuntio accepto, tempus iustum creationis non exspectantes, statim iratos in locum priorum munere se abdicare iussorum alios creasse. Si nihil inusitati in creandis praetoribus tum accidisset, non esset cur Alcibiades prorsus a republica remotus in vitam privatam procul ab Athenis se recepisset. Id eum fecisse de nulla alia caussa quam quod in annum insequentem iterum lectus non esset, vix est credibile. Neque tamen extraordinarios eos fuisse propterea putaverim, quia e prioribus unus inter novos creatus est, Aristocrates, quem Alcibiadis iam fuisse conlegam videmus ex Xenoph. I, 4, 21.

Totam rationem, quam Seidlerus ingressus est, si perpenderimus, non nisi levibus argumentis eam niti dicemus, quamquam, quod praetores aestate munus iniisse impugnat, rectissime fecit. Ex exemplis allatis id cernitur, hieme illos magistratus provinciam cepisse, non tamen, qui fuerit mensis. Ad illud confirmandum valent, quae a

---

22) Cfr. Plut. Alcib. c. 36.

23) Raro tantum nobis traduntur nomina omnium decem praetorum, ut Xen. Hellen. I, 5, 16 fit.

24) Nescio, quo iure Seidlerus adnotaverit, ante veris initium novos praetores iam officiis functos esse apparere e Xen. I, 5, 21. Neque ex his verbis neque ex iis, quae antecedunt, certi quid de ea re cognosci posse videtur.

25) Cfr. Plut. Alcib. c. 36: *ἐνεκάλουν δ' αὐτῷ καὶ τὴν τῶν τειχῶν κατασκευήν, ἃ κατεσκεύασεν ἐν Θράκῃ περὶ Βισάνθην αὐτῷ καταφυγὴν ὡς ἐν τῇ πατρίδι μὴ δυνάμενος βιοῦν ἢ μὴ βουλόμενος.*

Kruegero [26]) disputata sunt: Demosthenes adv. Timoth. §. 6. narrat, Timotheum Munychione mense non solum praetorem iam fuisse, sed vel bellum paravisse. Unde concludi potest, hieme eum esse creatum, [27]) quod probatur etiam eo quod legimus Xen. Hell. VI, 5, 49, Athenienses Iphicratem praetorem creasse, et quod §. 50. additur: *καὶ ἔτι χειμὼν ἦν.*

Breviter de ea re disputat Wexius, [28]) qui quamquam certi quid dici non posse fatetur, tamen statuendum esse putat, exeunte Elaphebolione mense comitia habita creandis praetoribus. Quae eius sententia nullo alio argumento nititur, nisi quod ea de caussa id verisimile esse ducit, quia mense Elaphebolione ad spectanda magna Dionysia socii Athenas convenerint; itaque his praetores recens creatos statim innotescere et commendari potuisse. Quam leve hoc argumentum sit, facile apparet; itaque sententia hominis docti reiicienda videtur. Ne Aeliani quidem locum [29]) admoverim ad eam probandam, ubi Phrynichum fabula acta populum Atheniensium ita cepisse legimus, ut statim (*παραχρῆμα*) eum praetorem crearent. Nam hoc loco verbo *παραχρῆμα* indicari, mense Elaphebolione Phrynichum esse creatum praetorem, et inde sequi, semper eo mense praetores esse creatos, haut dixerim. Proprio sensu, quo significat: statim, illico, verbum hic usurpatum non esse inde apparet, quod quarto et quinto die Dionysiorum [30]) tragoediae et comoediae agebantur, die post Dionysia Pandia agebantur, [31]) die postero concio senatus habebatur [32]) ad diiudicanda omnia ea, quae inter Dionysia acciderant. Itaque quum his omnibus diebus comitia ad creandos praetores haberi non potuerint, mihi quidem verba Aeliani certam rationem praebere non videntur, quae ad diiudicandam hanc quaestionem difficillimam valere possit. Quum igitur ne ea quidem sententia certis adiuvetur argumentis, aliam viam ingressus est vir doctissimus de Leutsch, [33]) qui ab loco prorsus alio initia cepit, ut lucem aliquam rei afferat. Scholiastes ad Aristophanis equitt. vv. 43 et 44:

---

26) Cfr. Krueger: Histor. philol. Studien I, p. 164.

27) De eadem re cfr. Xen. Hell. VI, 2, 13, 14.

28) Ad. Soph. Ant. Prolegg. c. I, p. 21. 22.

29) Cfr. Ael. Var. hist. III, c. 8: *οὕτως ἄρα κατεκτήσατο* (sc. *Φρύνιχος*) *τὸ θέατρον καὶ ἐκράτησε τῶν παρόντων, ὥστε παραχρῆμα αὐτὸν εἷλον τὸ στρατηγεῖν.*

30) Dionysia per sex dies celebrata esse auctor est Plaut. Pseud. I, 3, 87.

31) Cfr. Demosth. Mid. §. 9.

32) Aeschines d. falsa leg. §. 61.

33) Cfr. v. Leutsch: Philol. vol. I, 487 ff.

οὗτος τῇ προτέρᾳ νουμηνίᾳ ἐπρίατο δοῦλον, βυρσοδέψην Παφλαγόνα interpretandos addit:

ἐν δὲ ταῖς νουμηνίαις οἱ δοῦλοι ἐπωλοῦντο καὶ οἱ στρατηγοὶ ἐχειροτονοῦντο.[34]) Quia fabula equitum Lenaeis primum acta est, Lenaea autem Gamelione mense celebrabantur, vir doctus concludit, ἐν τῇ προτέρᾳ νουμηνίᾳ, id est sub interlunia Posideonis mensis et Cleonem et omnes praetores creatos esse. Quum autem apud scholiasten verba sint ἐν ταῖς νουμηνίαις, quaenam, quaerimus, fuerunt νουμηνίαι, cuius mensis? Posideonis tempus interlunium intelligendum esse, nihil esse videtur quod indicet. Neque verbis scholiastae tantum momenti tribuendum esse putaverim, quia de quovis mense intelligi possunt. Ita ne ea quidem sententia, quamvis magna sagacitate eruta sit, certis fundamentis niti videtur. Si igitur omnia animo perpenderimus, quae de hac quaestione difficillima disputata sunt, fatebimur, ex iis non consequi, praetores mense Elaphebolione vel Gamelione vel alio, quem homines docti esse voluerunt, creatos esse. Is tamen fructus ex iis, quae Seidlerus et Kruegerus disputaverunt, perceptus esse videtur, ut statuere possimus, praetores exeunte anno, id est aestate, creatos non esse, sed hieme, quod firmatur compluribus locis, quos supra attulimus. Si tamen mensem dicere volueris, quo creati sint illi magistratus, id non nisi coniectura assequi poteris, quae, quum certi nihil tradatur, levibus tantum argumentis nitetur. Quamvis igitur dolendum sit, tamen in eo acquiescendum esse videtur, ut dicamus, omnibus rebus denuo perpensis, totam quaestionem ad certum finem perduci non posse.

Ut ceteri omnes magistratus, sive sorte sive suffragio creati, ita praetores priusquam munus inirent, δοκιμασίᾳ erant subiecti, quod legimus apud Lysiam;[35]) magistratus quomodo spectati sint, eius rei compluria exstant exempla; de praetoribus nihil traditum est. Licebit tamen statuere, imprimis id spectatum esse, utrum vitam republica dignam egerint [36]) ex omnibus partibus. Attamen, quum munus praetorum magna floreret auctoritate et hi primum obtinerent locum inter magistratus suffragio creatos, factum est non nunquam, ut viri, quibus populus praecipuum honorem haberi voluit, dignitate praetoria afficerentur. Ita Sophoclem et Phrynichum poëtas propter fabulas

34) Cfr. Suidas s. v. νουμηνίαι:

35) Cfr. Lys. contr. Alcib. II, §. 6. αὐτοὺς μὲν τοὺς στρατηγοὺς ὑπὸ τοῦ δήμου χειροτονηθέντας μὴ ἂν τολμῆσαι ἡμῶν ἡγήσασθαι, ἕως ἂν ἐδοκιμάσθησαν κατὰ τοὺς νόμους.

36) Cfr. Dinarch. contr. Arist. §. 17.

eximias praetores esse creatos legimus. Praetores autem non solum ante munus ineundum spectabantur, sed etiam inter munus fungendum, ut, si nova inciperet prytania, quaereretur, num bene praetor rem gessisset. [37]) Itaque accidit, ut praetores qui officiis non satisfecissent *ἀποχειροτονίᾳ* a munere submoverentur. [38]) Si igitur certa caussa fuit, quae praetori alicui crimini verti posset, a munere amotus et in ius vocatus, [39]) atque alius praetor in eius locum suffectus est. [40]) Quum autem munere defuncti essent, omnium rerum ab ipsis gestarum ut rationem redderent praetores lege constitutum erat. Archontes, paredros, legatos, pontifices, scribas publicos, alios ad rationem reddendam vocatos esse scimus, de quibus multa nobis tradita sunt a scriptoribus veteribus. [41]) Illam igitur *εὐθύνην* praetores quoque subire necesse erat et quidem *εὐθύνην* omnium eorum, quae bello gesta erant. [42]) Quaeritur, cuinam magistratui rationem reddere debuerint praetores. Ab omnibus aliis magistratibus *λογισταὶ* et *εὐθῦναι* rationem poposcerunt, praetores Pollux VIII, 88 thesmothetis rationem reddidisse tradit, sed hac in re haut scio an fides ei sit neganda. *Δοκιμασίᾳ* enim praeerat iudicium heliastarum et ei praesidebant thesmothetae, cuius rei auctor est Pollux VIII, 88: *εἰσάγουσι δὲ (οἱ θεσμοθέται) καὶ δοκιμασίαν ταῖς ἀρχαῖς.* Non ita est in *εὐθύνῃ*, quae est actio iusta ac legitima et in qua ad accusationem saepius decursum est. Tenendum est, magistratum *λογιστῶν καὶ εὐθυνῶν* a populo constitutum esse, ut id ipsum munus administraret. Itaque quam ob caussam praetores thesmothetis rationem reddidisse credamus, quum magistratus ad eam ipsam rem constitutus adesset? Accedit, quod dubium esse potest, utrum sex thesmothetae soli sint in-

---

37) Cfr. Pollux VIII, §. 87. *καὶ καθ' ἑκάστην πρυτανείαν ἐπερωτᾶν, εἰ δοκεῖ καλῶς ἄρχειν ἕκαστος.* Huc pertinere videtur, quod legimus apud Plut. Phoc. c. IX: *ἐν δὲ καιροῖς ἐπισφαλέσι τραχυνομένου τοῦ δήμου πρὸς αὐτὸν σφόδρα καὶ τῆς στρατηγίας εὐθύνας ἀπαιτοῦντος.*

38) Cfr. Pollux l. l. *καὶ τὸν δ' ἀποχειροτονηθέντα κρίνουσι.* Plut. Per. 35. 3. *ἢ τὰς ψήφους λαβόντας ἐπ' αὐτὸν εἰς τὰς χεῖρας καὶ γενομένους κυρίους ἀφελέσθαι τὴν στρατηγίαν,* qua tin re tamen Plutarchus errasse putandus est, quia non *ψήφοις* sed *χειροτονίᾳ* magistratus a munere amovebantur. Cfr. Plut. Phoc. c. 33: *ἐκκλησία ἐγένετο, ἐν ᾗ τὸν Φωκίωνα τὴν ἀρχὴν ἀπολύσαντες ἑτέρους εἵλοντο στρατηγούς.*

39) Cfr. Demosth. adv. Timoth. §. 9. *ἐπειδὴ δ' ἀπεχειροτονήθη μὲν ὑφ' ὑμῶν στρατηγὸς διὰ τὸ μὴ περιπλεῦσαι Πελοπόννησον, ἐπὶ κρίσει δὲ παρεδέδοτο εἰς τὸν δῆμον κτλ.*

40) Cfr. Demosth. adv. Polycl. §. 12. *προσταχθὲν μὲν ὑπὸ τοῦ δήμου Μένωνα τὸν στρατηγὸν ἄγειν εἰς Ἑλλήσποντον ἀντὶ Αὐτοκλέους ἀποχειροτονηθέντος.*

41) Cfr. Hermann Antiqq. gr. §. 154, 3-7 — Tittmann: Descriptio rerum publ. graec. §. 323.

42) Cfr. Demosth. de fals. legat §. 332: *τούτων (τῶν ἐν τῷ πολέμῳ πραχθέντων) εἰσὶν οἱ στρατηγοὶ ὑπεύθυνοι.*

telligendi aut sex thesmothetae una cum archonte eponymo, rege et polemarcho.[43] Si autem putas, ob eam caussam thesmothetis praetores rationem reddidisse, quia fieri poterat, ut in *εὐθύνῃ* praetores in ius vocarentur, et actiones publicae et privatae a thesmothetis instruebantur, velim respicias, in *εὐθύναις* omnium aliorum magistratuum logistas caussam instituisse et iudices elegisse. Itaque Pollucis testimonium in suspicionem vocandum esse videtur, quia parum convenit cum iis, quae de ceteris magistratibus memoriae prodita sunt.

Quum igitur praetores ad *εὐθύνην* vocabantur, omnium eorum rationem reddere debebant, quae per annum acciderant, eaque multa et cuiusvis generis fuisse apparet ex eo, quod non solum rerum bellicarum apud eos potestas erat, sed etiam rerum domesticarum, ut postea videbimus. Crimine aliquo commisso non solum a munere amovebantur, sed etiam multis multabantur,[44] vel etiam capitis damnabantur (cfr. Demosth. c. Phil. I §. 47). Imprimis si praetor pecunias publicas retinuerat et suppresserat, exercitum rebus necessariis non instruxerat, in iudicium vocabatur. Ita extra ordinem iudicium constitutum in praetores, qui in Sicilia civium cadavera e mari non collegissent. Vel in bello gerendo si praetor quid aut fecerat aut omiserat, quod populo non faciendum aut non omittendum videbatur,[45] si proelio erat victus,[46] in ius vocari poterat. Omnino facile perspicitur, in re publica, in qua plurimum potest populus omniaque eius arbitrio geruntur, id agi imprimis, ut imperium quantum possit in minimas partes seiungatur et dirimatur, ne singuli homines, graviori potestate induti, populi arbitrio sublato, rerum potiantur, porro id agi, ut vel minimarum et levissimarum rerum ratio reddatur populo vel magistratui ab eo constituto, quo diligentius pro securitate rei publicae vigilari possit.

Praetores antequam munus inirent, sacramento sese obligavisse, ut omnibus officiis ipsis impositis diligenter satisfacerent, uno quantum scio exemplo traditum est in Plutarchi vita Periclis c. XXX, ubi legimus, rogationem esse latam, ut praetores praeter sacramentum patrium id quoque iurarent, se bis quotannis in Megarida incur-

---

43) Qnum in scholiis ad Arist. Plut. 277 decem nominentur thesmothetae singuli e singulis tribubus creati, Tittmanu. p. 263 dubitationem movit, num duo genera fuerint thesmothetarum. Sed recte suspicari videtur Hermannus, decem, qui dicantur, thesmothetas esse novem archontes una cum scriba (*γραμματεύς*).

44) Praeclarissimum est exemplum Periclis; cfr. Plut. Per. 35: *οὐ μὴν παρέλυσε τὴν ὀργὴν – ἢ καὶ ζημιῶσαι χρήμασιν ὧν ἀριθμὸν οἱ τὸν ἐλάχιστον πέντε καὶ δέκα τάλαντα, πεντήκοντα δ' οἱ τὸν πλεῖστον γράφουσιν.*

45) Cfr. Demosth. c. Timoth. §. 9. *ἀπεχειροτονήθη διὰ τὸ μὴ περιπλεῦσαι Πελοπόννησον.*

46) Cfr. Xen. Hellen. I, 5. §. 16.

sionem facturos esse: *τοὺς δὲ στρατηγοὺς, ὅταν ὀμνύωσι τὸν πάτριον ὅρκον, ἐπομνύειν, ὅτι καὶ δὶς ἀνά πᾶν ἔτος εἰς τὴν Μεγαρικὴν ἐμβαλοῦσιν.* [47])

Quaerendum est, quo modo praetores creati sint. Quantum Clisthenis instituta, quibus in decem tribus populus Atheniensium distributus est, ad numerum magistratuum valuerint, ex eo cognoscimus, quod complures magistratus ad decem aucti sunt: ita exactores (cfr. Pollux VIII, 97), *πωληταὶ*, id est ii, qui tributa publica locabant, *σωφρονισταί*, qui exercitationibus iuvenum praeerant, alii. Ita praetores quoque decem creabantur. Quamquam certi nihil traditum est, statuendum tamen videtur, e singulis tribubus singulos praetores creatos esse. Unus exstat locus Pollucis, [48]) quo narratur, Athenienses suffragio creavisse praetores ex omnibus, *ἐξ ἁπάντων*. In iis, quae antecedunt, sorte creatos esse iudices, singulos ex singulis tribubus, narratur; non crediderim, praetores tribuum ratione non habita esse creatos. Nam *ἐξ ἁπάντων* significat ex omnibus Atheniensibus et quum talibus in rebus semper de populo in decem tribus dispertito cogitandum sit, ibi quoque singulas tribus in mente habuisse videtur. Singulos praetores e singulis tribubus creatos esse inde consequitur, quod in catalogis bello caesorum inter nomina militum alicuius tribus etiam nomen praetoris traditur ex eadem tribu creati. Exstat inscriptio (C. I. G. N. 165), qua traduntur nomina bello caesorum et unius quidem Erechtheidis tribus. Inter ea nomina duo praetorum addita sunt in v. 5:

ΣΤΡΑΤΕΓΟΝ ΦΑΝΥΛΛΟΣ

Φ (υλαρ) ΧΟΣ

et in v. 62 *ΣΤΡΑΤΕΓΟΣ: ΕΝ ΑΙΓΥΠΤΟΙ ΗΙΠΠΟΔΑΜΑΣ*

quos tribules Erechtheidis esse necesse est. [49]) Quaeritur autem, utrum Hippodamas sit dux ordinarius an extraordinarius. Primum animum advertendum est, Hippodamantem nominari una cum tribus militibus, cum vate, cum sagittariis, quare non ordinarium fuisse eum censeas. Idem concludendum videtur inde, quod Hippodamanti appositum est: *ἐν Αἰγύπτῳ.*

De verbo *στρατηγῶν* dubitari quidem potest, utrum sit genetivus pluralis numeri an participium praesentis; Boeckhius tamen recte participium esse intelligendum iudicasse videtur.

---

47) Quod iuraverant servatum esse, cernitur e Thuc. IV, 66. II, 31. De sacramento praetorum cfr. Lys. pr. mil. §. 15.

48) Cfr. Poll. VIII. §. 87: *καὶ στρατηγοὺς χειροτονεῖν ἐξ ἁπάντων.*

49) Ad rem cfr. Thuc. I, 104. 105, ubi expeditio in Aegyptum facta narratur. Cfr. Lys. epitaph. §. 49.

Quod autem dicit de discrimine, quod intercedat inter *στρατηγός* et *στρατηγῶν*, illud significare „praetorem civili denominatione,“ hoc „ducem praetoris loco exercitum ducentem,“ ideo dubium mihi videtur, quia parum cernitur, quis pro praetore exercitum ita ducere potuerit, quin *στρατηγὸς* sit aut ad eam ipsam expeditionem profectus aut in alius locum suffectus i. e. extraordinarius. Quia primo loco nominatur Phanyllus, eum fuisse ordinarium putaverim (eo loco *φυλάρχος* quoque nominatur) et Hippodamantem extraordinarium, praesertim quod appositum est: *ἐν Αἰγύπτῳ*. Ut difficultas verbi: *στρατηγῶν* amoveatur, haut scio an pro *ΣΤΡΑΤΕΓΟΝ* legendum sit: *ΣΤΡΑΤΕΓΟΣ*, quod facile *Σ* mutari poterat in *N*.

Praetores etiam absentes creati sunt a populo, praesertim si virtus bellica atque imperatoria probata et spectata esset. 50) Vel iterum nonnumquam absentes creabantur, quod tum imprimis accidit, quum bellum aliquod, cui praetor praeerat, anno magistratus consumpto nondum erat finitum. Quum autem de aliis magistratibus statutum esset, ne quis subinde eodem fungeretur magistratu, 51) ad praetorum munus id non valuisse, sed potius eos bis, ter vel saepius creatos esse videmus praeclarissimo exemplo Phocionis, quem per quadraginta quinque annos praetorem fuisse legimus. 52)

Iam vertamus nos ad negotia, quae praetoribus erant obeunda. Ac primum quidem duae partes operae eorum sunt distinguendae, quarum altera ad res bellicas, altera ad res domesticas et urbanas gerendas spectabat. Antiquioribus temporibus omnes decem ad bellum profecti sunt, postea tamen plerumque non nisi quinque, tres, vel unus solus, ita ut domi pars eorum maneret atque diversis negotiis operam navaret, de quibus infra disputabimus. Discernuntur igitur duo genera: *οἱ ἐπὶ τῶν ὅπλων* et *οἱ ἐπὶ τῆς διοικήσεως*, vel ut alio nomine nominantur *ὁ τῶν ἔξω* et *ὁ τῶν ἐν ἄστει.* 53) Ex illis unus copiis pedestribus, alter equitatui, tertius rebus nauticis praefectus esse videtur. Ita discernuntur praetores: *ὁ ἐπὶ τῶν ὁπλιτῶν* et *ὁ ἐπὶ τῶν ἱππέων.* 54)—

---

50) Cfr. Xen. Hellen. I, 4, 10. Cfr. Plut. Phoc. c. VIII, quem numquam *ἀρχαιρεσίαις* interfuisse legimus.

51) Cfr. Demosth. c. Timocr. §. 150: *ΟΡΚΟΣ ΗΛΙΑΣΤΩΝ*: . . . *οὐδὲ τὴν αὐτὴν τὸν αὐτὸν ἄνδρα, οὐδὲ δύο ἀρχὰς ἄρξαι τὸν αὐτὸν ἐν τῷ αὐτῷ ἐνιαυτῷ.*

52) Cfr. Plut. Phoc. c. VIII: *ὁμολογεῖται γάρ, ὅτι πέντε καὶ τεσσαράκοντα στρατηγίας ἔλαβεν.* et c. XIX. Cfr. Aesch. d. fals. leg. §. 149: *καὶ συνεχῶς ἔτος ἤδη τὸν τρίτον στρατηγῶν* (sc. *Φιλοχάρης*).

53) Cfr. Sigon. d. republ. Athen. IV, c. 5. Demosth. d. cor. §. 38. Plut. Per. c. 10: *ὥστε Κίμωνα μὲν ἐκπλεῦσαι λαβόντα . . . καὶ τῶν ἔξω στρατηγεῖν, Περικλεῖ δὲ τὴν ἐν ἄστει δύναμιν ὑπάρχειν.* Cfr. c. 34: *ἔμεινεν οἰκουρῶν καὶ διὰ χειρὸς ἔχων τὴν πόλιν.*

54) Cfr. Demosth. d. coron. §. 116.

Imprimis ut portuum et navalium curam haberent, unus vel duo praetores constituti sunt [55]) nec non Paraliae regioni unus praeerat. [56]) Itaque singulis rei militaris partibus singulos praefuisse praetores apparet et discrimen intercessisse inter eos, qui ad bella gerenda proficiscebantur et eos, qui in urbe manebant ibique negotia obibant. Iam de illis disputabimus et quae eorum fuerint munera videbimus.

Uno verbo amplectitur omnia negotia praetorum Demosthenes de fals. legat. §. 289: *πολέμου εἰσὶν ἡγεμόνες στρατηγοὶ*, id est, iis omnibus, quae ad bella gerenda spectant, praetores consulere debent. Ac primum quidem in exercitu conscribendo praetores cum demarchis populi iussu catalogum militum emittendorum faciebant atque imprimis statuebant, quot tribus et quot milites ex unaquaque tribu proficiscerentur. (Lys. c. Alcib. I §. 6: *οὓς ἂν οἱ στρατηγοὶ καταλέξωσιν*). Si ad expeditionem aliquam faciendam ex omnibus tribubus milites conscribi populus decrevisset, penes praetores erat statuere, quaenam partes tribulium proficiscerentur, quod expeditionis genus dicitur *ἡ στρατεία ἡ ἐν τοῖς μέρεσι καλουμένη.* [57]) Huic *στρατείᾳ* opposita est quodammodo quae dicitur *στρατεία ἐν τοῖς ἐπωνύμοις*. De qua apud Suidam leguntur haec: *χρῶνται δὲ τοῖς ἐπωνύμοις καὶ πρὸς τὰς στρατείας, καὶ ὅταν ἡλικίαν ἐκπέμπωσιν, προσγράφουσιν, ἀπὸ τίνος ἄρχοντος ἐπωνύμου μέχρι τίνος δεῖ στρατεύεσθαι.* Verbo *ἡλικία* vel *οἱ ἐν ἡλικίᾳ* scriptores amplectuntur eos cives Athenienses, quorum erat stipendia pro patria merere. Scimus autem, omnes Athenienses, qui intra duodevicesimum et sexagesimum annum versabantur, stipendia fecisse. Quotannis iuvenes in tabulas *ληξιαρχικὰς* inscribebantur et iureiurando dato coram civibus arma accipiebant. [58]) In illis tabulis *ληξιαρχικαῖς* nominibus eorum, qui eodem anno inscripti erant, nomen archontis eponymi superscribebatur et in conscribendo exercitu praetor ex singulis annis certum quendam numerum ad expeditionen faciendam designabat, quare illa expeditio *στρατεία ἐν τοῖς ἐπωνύμοις* dicitur. Alia est *στρατεία* quae dicitur *ἐν τοῖς μέρεσιν*, in qua singulae tantum partes copiarum *ἐκ καταλόγου* emitterentur. Id in expeditionibus levioris momenti plerumque factum est. Itaque in utroque genere *στρατειῶν* penes praetores erat statuere, [59]) quae manus in bellum proficisceretur.

---

55) Cfr. Dinarch. c. Philocl. §. 2: *στρατηγὸς ὑφ' ὑμῶν ἐπὶ τὴν Μουνυχίαν καὶ τὰ νεωρία κεχειροτονημένος.*

56) Cfr. Boeckh. Corp. Inscriptt. Gr. n. 178. 179: *στρατηγὸς ἐπὶ τὴν χώραν τὴν παραλίαν.*

57) Cfr. Aesch. d. f. leg. §. 169, ubi discernuntur *στρατεία ἐν τοῖς μέρεσιν* et *στρατεία ἐκ διαδοχῆς*.

58) Cfr. Poll. VIII 105. Schol. ad Demosth. d. f. leg. §. 304: *καὶ ἐκεῖσε* (sc. *ἐν τῷ τεμένει τῆς Ἀγραύλου*) *ὤμνυον οἱ ἔφηβοι μέλλοντες ἐξιέναι εἰς πόλεμον.*

59) Cfr. Lyc. c. Leocr. §. 57: *παρασχεῖν τὸ σῶμα τάξαι τοῖς στρατηγοῖς*; cfr. §. 77. §. 147.

Quum autem in conscribendis militibus *ἐκ καταλόγου* potestas praetorum quasi circumcisa esset et coercita a senatu, in conscribendis sociis prorsus suo arbitrio utebantur. Cuius rei testis est Thucydides quum aliis locis, tum ubi narrat, [60]) Demosthenem praetorem socios conscripsisse. Porro praetorum erat, ut frumentum providerent et inter milites dispertirent; posteriori tempore, quo stipendia militibus dari coepta erant, a praetoribus milites mercedem accipiebant. [61])

Ut autem penes praetores erat milites conscribendos curare, ita militem, qui aliquid admisisset, a militia facienda excludere iis licebat, ita tamen ut taxiarchum nomen eius de tabulis publicis eximere iuberent. [62]) Neque ex muneribus eorum non erat, de vacatione militiae decernere. Quum enim cives ad militiam vocabantur, omnes qui in tabulas publicas inscripti erant, nomina dare oportebat. Eorum autem, qui a militia vacare vellent, caussae excutiebantur a praetoribus et ab eo qui dicitur *ὁ ἐπὶ τῶν ὅπλων* et ab eo qui dicitur *ὁ ἐπὶ τῆς διοικήσεως*; quaestioni autem intererat scriba senatus, quia senatui summa custodia rei militaris erat. [63]) Etiam equitibus praetores praefuisse apparet inde quod nominatur praetor *ὁ ἐπὶ τῶν ἱππέων*. [64]) Quatenus tamen potestas praetoribus in iis, quae ad equites pertinebant, erat coercita, in commentatione de equitibus Atticis disputabimus.

Si autem praetores *αὐτοκράτορες* creabantur, quod iis temporibus, quibus magnum instabat ab hostibus periculum, fieri solebat, maior eorum potestas erat atque in rebus bellicis parandis magis sui iuris erant omniaque magis suo arbitrio gerebant. [65]) Praeclarissimum est exemplum Periclis, qui, postquam populus imperium ei abrogavit, haut ita multo post iterum praetor creatus est et tum quidem *ἡγεμὼν αὐτοκράτωρ*. Et hoc munere tanquam fundamento niti credo magnam illam potestatem, qua usus est et quae tanta fuit, ut Thucydides II, 65 dicat: *ἐγίγνετο λόγῳ μὲν δημοκρατία, ἔργῳ δὲ ὑπὸ τοῦ πρώτου ἀνδρὸς ἀρχή.*

Ius praecipuum praetorum *αὐτοκρατόρων* erat, ut ipsi delectum haberent et milites conscriberent, quod ita factum esse videtur, ut non populus sed ipsi numerum

---

60) Cfr. Thuc. IV, 77. VII, 17.
61) Cfr. Dem. c. Polycl. §. 12. 17.
62) Cfr. Lys. c. Alc. B. §. 5: *κελεύειν δὲ τὸν ταξίαρχον ἐξαλείφειν αὐτὸν ἐκ τῶν ὁπλιτῶν καταλόγου.*
63) Cfr. Dem. d. cor. §. 38.
64) Cfr. Dem. de cor. §. 116.
65) Cfr. Sigonius: de republ. Athen. IV. c. 5. Thuc. II, 65. VI, 8. Xen. Hell. I. 4, 20.

militum statuerent. Num in aliis quoque rebus bellicis potestas praetorum *αὐτοκρατόρων* maior fuerit, de ea re nihil traditum est.

Iam revertamur ad negotia belli, quae praetoribus obeunda fuerint. E quibus erat, ut aciem instruerent, proelia committenda regerent, omnia in itineribus, in castris, in obsidionibus curarent. Porro fines Atticos et terram ipsam tuebantur, quo spectant nomina *στρατηγὸς ἐπὶ τῆς χώρας*, *στρατηγὸς ἐπὶ τὴν χώραν τὴν παραλίαν*, *στρατηγὸς ἐπὶ τὴν Μουνυχίαν καὶ τὰ νεώρια*. Ex his denominationibus cernitur, negotia belli, quae praetoribus obeunda erant, nonnumquam ita dispertita esse, ut alii aliis praepositi essent. Utrum vero omnibus temporibus eius distributionis in creandis praetoribus ratio a populo habita sit, an praetores non nisi occasione data suo arbitrio singula munera inter se distribuerint, vix certo dici potest. Antiquissimis temporibus distributa fuisse singula munera inter singulos praetores, non habeo quo probem. Aetate belli Peloponnesiaci, cuius propter magnitudinem praetorum negotia magnopere accreverant, et postea populi decreto singulis praetoribus singula munera tribuebantur, quod apparet ex Xenoph. Hellen. I, 4, 21: *οἱ ᾑρημένοι κατὰ γῆν στρατηγοί* et Dinarchi verbis: *στρατηγὸς ὑφ᾽ ὑμῶν ἐπὶ τὴν Μουνυχίαν καὶ τὰ νεώρια κεχειροτονημένος*. Vel posterioribus temporibus populum alium praetorem ad alia munera creavisse, apparet ex inscriptionibus (cfr. C. I. G. 178. 179), in quibus legitur, praetorem a populo creatum esse *ἐπὶ τὴν χώραν τὴν παραλίαν*. Illis tamen inscriptionibus in diiudicanda hac quaestione nimia vis tribuenda non est, quia Boeckhio auctore ad tempus post Ol. 123 referendae sunt, quo potestas atque auctoritas praetorum plane mutata erat. Inde a tempore belli Peloponnesiaci ea distributio munerum inter praetores usitata fuisse videtur.

De quibus disputavimus negotiis praetorum, ea fere sunt, quae ad bellum spectant. Transeamus iam ad ea negotia, quae ad *τὴν διοίκησιν* spectant, vel ad *τὰ ἐν ἄστει*. Ac primo quidem loco ponendae sunt *λειτουργίαι* bellicae: praetores trierarchias instituebant, cives, qui ad id munus praestandum obligati erant, designabant, nomina eorum in tabulas inscribenda curabant.[66] Porro ex quo Ol. 100, 3 (= 378 a. Chr. n.) Nausinico archonte cives in *συμμορίας* distributi erant,[67] praetoribus cura

66) Cfr. Demosth. adv. Lacr. §. 48: *ἀλλὰ τοὺς τριηράρχους καθιστᾶσιν οἱ στρατηγοὶ εἰσάγοντες εἰς τὸ δικαστήριον*. Demosth. adv. Boeot. d. nom. §. 8: *τίνα δ᾽ οἱ στρατηγοὶ τρόπον ἐγγράψουσιν, ἂν εἰς συμμορίαν ἐγγράφωσιν, ἢ ἂν τριήραρχον καθιστῶσιν;*

67) De symmoriis cfr. Boeckh. oec. reip. Ath. I, p. 667.

erat, ut cives censu habito in eas inscriberentur. [68]) Propter liturgiarum bellicarum curam ἀντίδοσιν quoque instituebant praetores. Si enim quis munus aliquod praestare iuberetur, qui rem familiarem ad illud praestandum tenuiorem esse ratus munus a se amovere vellet, licebat ei postulare, ut alius, quem ditiorem esse putavit, aut liturgiam subiret aut rem familiarem permutaret. [69])

Pervenimus ad aliam partem negotiorum praetorum et primum quidem ad conciones ab iis convocandas. Quater intra unamquamque prytaniam comitia haberi lege constitutum erat; extra ordinem conciones convocari poterant a praetoribus et de iis quidem rebus, quae ad bella gerenda pertinebant. Cuius rei imprimis auctor est Thucydides, [70]) qui narrat, Periclem praetorem (ἔτι δ' ἐστρατήγει) comitia convocasse. Quod non solum factum est, ut de bello gerendo, de foederibus ineundis, de pace facienda deliberaretur, sed etiam ut praetor de toto rerum statu populum certiorem faceret, rationem ab ipso in bello gerendo initam exponeret, suspiciones fortasse in se iniectas dilueret. Ita Periclem fecisse legimus ap. Thuc. II, 18. Non semper a praetoribus solis comitia convocabantur, sed nonnunquam ab iis et a prytanibus, [71]) quod mirum non est, quia prytanibus fere semper comitia et convocanda et habenda fuisse scimus [72]). Idem commemoratur in ψηφίσμασι orationi Demosthenis de corona interpositis, (cfr. Dem. d. cor. §. 37. 73. 75.) quae tamen num proba ac vera sint, in suspicionem vocatum est. [73])

Quaerendum iam est, quaenam fuerit iurisdictio in iis caussis quae γράφαι appellantur. Omnium delictorum, quae in bello a militibus vel in rebus bellicis admittebantur, iurisdictio penes praetores erat. [74]) In iis caussis enumerantur primum γράφη ἀστρατείας contra eum, qui, quamquam a praetoribus ad militiam evocatus et ἐν καταλόγῳ inscriptus, ad stipendia facienda non apparuerat, [75]) tum γράφη λειποταξίου non solum contra eum, qui aciem, in qua eum collocaverat dux, deseruerat atque

---

68) Cfr. Dem. adv. Boeot. d. nom. l. l. Olynth. II, §. 29.

69) De antidosi cfr. Boeckh. I, p. 749.

70) Cfr. Thuc. II, 59. 22. IV, 118. VII, 60.

71) Cfr. Thuc. IV, 117. Ἐκκλησίαν δὲ ποιήσαντας τοὺς στρατηγοὺς καὶ τοὺς πρυτάνεις.

72) Cfr. Poll. VIII, 96: καὶ ὅταν οἱ πρυτάνεις τὸν δῆμον ἢ τὴν βουλὴν συνάγωσιν, οὗτος ἐξ ἑκάστης φυλῆς πρόεδρον ἵνα κληροῖ, μόνην τὴν πρυτανεύουσαν ἀφείς.

73) De ψηφίσμασι et ἐπιστολαῖς cfr. Droysen Zeitschr. für Alterthumswissenschaft 1839 p. 916 u. s. w.

74) Cfr. Plato de legg. XII, p. 943. A. B.

75) Cfr. Lys. c. Alc. ἀστρατείας. Lys. c. Leocr. §. 147.

in aciem extremam sese receperat propter ignaviam, sed etiam contra eum, qui in exercitu pedestri non aderat, [76]) *γράφη ἀναυμαχίου* contra eum, qui a praetoribus conscriptus ad militiam navalem proelio navali non intererat, [77]) *γράφη λειποστρατίου* contra eum, qui ab exercitu, cui erat adscriptus, discesserat prius quam praetores exercitum domum abducerent, *γράφη δειλίας* [78]) contra eum, qui omnino ignavum se praebuerat in bello, *γράφη* contra eum, qui in pugna scutum abiecerat (*ῥίψασπις*). [79]) Horum igitur delictorum iurisdictio penes praetores erat. Accedunt omnes caussae, quae e controversiis inter trierarchos oriebantur: ita *περὶ διαδοχῆς νέως* et *ἐπιτριηραρχήματος*, [80]) si quis munus trierarchiae administrabat ultra tempus lege constitutum; porro caussae, quae spectant ad *εἰσφορὰν* et ad *ἀντίδοσιν.* — Iam videamus, quinam iudices fuerint. In caussis fere omnibus iudices eligebantur ex heliastis, qui quotannis sex milia sorte creabantur, vel ex diaetetis; in nonnullis tamen iudices eligebantur ex iis, qui rei, de qua agebatur, prae ceteris periti erant. Ita in delictis contra leges militares admissis factum est, ut iudices essent commilitones, qui eidem expeditioni interfuerant, in qua facinus contra legem commissum erat. Cuius rei testis est Lysias in oratione c. Alcib. A. §. 5: *τὸν δὲ νόμον κελεύειν, ἐάν τις λίπῃ τὴν τάξιν εἰς τοὐπίσω δειλίας ἕνεκα, μαχομένων τῶν ἄλλων, περὶ τούτους τοὺς στρατιώτας δικάζειν.* Quod mirum non videtur, si reputaverimus, milites fuisse cives Athenienses; nec desunt similia exempla. In caussis enim in eos illatis, qui contra mysteria aliquid commisissent vel sacra violavissent, ii tantum iudices erant, qui et ipsi initiati erant. [81]) Attamen illis Lysiae verbis non omnia expedita esse videntur. [82]) Quaeri enim potest, utrum omnes iudices in talibus caussis diiudicandis e commilitonibus creati sint, an pars tantum eorum. Tittmannus ex loco, quem Schoemannus attulit: Demosth. adv. Polycl. §. 3: *ὅσοι μὲν τῶν στρατιωτῶν ἐστε καὶ παρῆτε ἐκεῖ, αὐτοί τε ἀναμνήσθητε κτλ.* colligi posse dicit, non omnes iudices e militibus sorte esse creatos, sed partem

76) Cfr. Lys. c. Alc. *λειποταξίου.* Aesch. d. f. leg. §. 148. Demosth. adv. Boeot. d. nom. §. 17. Mid. §. 166.
77) Cfr. Andoc. d. myster. §. 74.
78) Cfr. Andoc. d. myst. I. l. Aesch. c. Ctes. §. 176.
79) Cfr. Plato d. legg. XII, p. 944 B.
80) Cfr. Demosth. adv. Polycl. §§. 1. 20—23. 66. 67.
81) Cfr. Andoc. d. myst. §. 28: *ἔδοξεν οὖν τῷ δήμῳ, ἐν τῷ θεσμοθετῶν δικαστηρίῳ τοὺς μεμυημένους ἀκούσαντας τὰς μηνύσεις ἃς ἕκαστος ἐμήνυσε, διαδικάσαι.* Cfr. §. 31.
82) De tota re cfr. Schoemann: de sortitione iudicum ap. Athen. p. 29 seqq. Tittmann: Descr. rer. publ. Graec. p. 227. Meier und Schoemann: Attischer Process p. 133. 366. 109. Plattner: Process und Klagen bei den Attikern. II, p. 89 ff.

tantum. Pendet ea quaestio ex aliqua parte inde, utrum caussa adversus Polycl. acta sit coram iudicibus extraordinariis ex commilitonibus desumptis, an coram iudicibus ex heliastis sorte creatis. Apollodorus trierarchiam ultra tempus lege constitutum praestiterat, quum qui in locum eius succedere deberet trierarchus iusto serius venisset; itaque impendia eo tempore, per quod contra leges munus praebuerat, facta ut ab accusato Polycle ipsi reddantur postulat. Est igitur res orta e controversia inter trierarchum et eius successorem, quae apud praetores agebatur. Itaque verba Lysiae secutus milites omnes iudices fuisse crediderim neque consentio cum Meiero et Schoemanno, qui in iudicum sortitione saepius accidisse dicant, ut inter iudices ad talem caussam diiudicandam sorte creatos fuissent, qui apti non essent ad eas caussas recte cognoscendas et perspiciendas; eos igitur in caussis, quae ad rem militarem spectarent, reiectos inque eorum locum alios suffectos esse. Quae sententia repugnare videtur verbis Lysiae, quibus perspicue dicitur, milites de illa re iudicasse. Neque cum Schott. et Markland. ad l. l. Lysiae illud *στρατιώτας* mutandum est in *στρατηγούς* vel *στρατηγοῦντας*, quia praetores *ἡγεμονίαν δικαστηρίου* habebant, itaque non ipsi *δικάζειν* poterant, neque cum Meiero in *ἐστρατευκότας* (quam formam multo rariorem esse quam *ἐστρατευμένους* Schoemannus recte adnotavit), quia vel post reditum ex bello *στρατιῶται* dici poterant ii, qui illi expeditioni interfuerant.

Itaque, ut toti quaestioni finem imponamus, in iis caussis, quae de criminibus in bello admissis instituebantur, iudices creati sunt e commilitonibus, ita ut de caussa contra hoplitam instituta hoplitae, equites de caussa contra equitem instituta iudicarent. [83]) De poenis, quibus milites condemnati affecti sint, Andocides dicit in oratione de mysteriis §. 74: *καὶ ὁπόσοι λίποιεν τὴν τάξιν ἢ ἀστρατείας ἢ δειλίας ἢ ἀναυμαχίου ὄφλοιεν ἢ τὸν ἀσπίδα ἀποβάλοιεν, οὗτοι πάντες ἄτιμοι ἦσαν τὰ σώματα, τὰ δὲ χρήματα εἶχον.* *Ἄτιμος* autem omnia ea iura amisit, quorum civis Atheniensis particeps erat: a comitiis exclusus erat, senatui interesse, muneribus publicis fungi, sacrificiis adesse non poterat. *Ἀτιμίας* compluria genera statui solent, in quae accuratius inquirere huius non loci nec tempori est. [84]) Si cum Meiero et Schoemanno tria genera *ἀτιμίας* fuisse statuimus, quorum verba sunt (Attischer Process p. 563): **Es werden drei Arten der**

---

83) Cfr. Plat. d. legg. XII, p. 943 B: *καὶ εἰσάγειν ὁπλίτας μὲν εἰς τοὺς ὁπλίτας, ἱππέας δὲ εἰς τοὺς ἱππέας,* et Astii adnotationem ad eum locum.

84) Cfr. de *ἀτιμίᾳ* Andoc. d. myst. §. 73—76. Hermann. Antiqq. Gr. I. §. 124.

Atimie unterschieden: die erste Entziehung aller bürgerlichen Rechte mit Confiscation des Vermögens verbunden; die andere Entziehung jener Rechte ohne Verlust des Vermögens; die dritte Entziehung einzelner Rechte mit Beibehaltung der übrigen (*ἀτιμία κατὰ προστάξεις*): in iis caussis, quae ad res militares pertinebant, eam infamiam quae secundum locum obtinet in condemnatos esse constitutam apparet e loco Andocideo. Quae iura iis abrogata sint, docet Aeschines c. Ctesiphont. §. 176: *ὁ μὲν τοίνυν νομοθέτης τὸν ἀστράτευτον καὶ τὸν δειλὸν καὶ τὸν λιπόντα τὴν τάξιν ἔξω τῶν περιῤῥαντηρίων τῆς ἀγορᾶς* [85] *ἐξείργει καὶ οὐκ ἐᾷ στεφανοῖσθαι οὐδ' εἰσιέναι εἰς τὰ ἱερὰ τὰ δημοτελῆ*, quibus indicantur propria quaedam huius *ἀτιμίας*, *τὸν ἄτιμον* neque comitiis neque iudiciis interesse neque sacra facere neque ad ea facienda sese coronare debere. Quae iura exercere civi Atheniensi *ἐντίμῳ* licebat, non tamen *ἀτίμῳ*, sicuti ei qui expeditiones non fecerat, *ὅσαι προσταχθῶσιν*, vel qui scutum abiecerat, coram populo dicere non licuisse legimus. [86])

Haec hactenus. Sunt qui dicant, praetores leges quoque tulisse, cuius rei documentum esse afferunt, quod Plutarchus narrat in vita Periclis, [87]) eum, quum maxime floreret atque vigeret in republica administranda, legem tulisse, ut soli essent cives, qui parentibus duobus Atheniensibus nati essent. Idem traditur ab Aeliano Var. hist. VI, c. 10. *Περικλῆς στρατηγῶν Ἀθηναίοις νόμον ἔγραψεν, ἐὰν μὴ τύχῃ τις ἐξ ἀμφοῖν ὑπάρχων ἀστῶν, τούτῳ μὴ μετεῖναι τῆς πολιτείας.* [88]) Quamvis dubitetur de tempore, quo lex lata sit, [89]) e locis Aeliani et Plutarchi comparatis apparet, Periclem praetoris munere functum esse et quo tempore tulerit et quo ut tollatur lex operam dederit. Non tamen inde, quod de Pericle praetore haec narrantur, colligi posse videtur, semper praetores ius habuisse leges ferendi. Primum cum iis consentio, qui Periclem non nisi legem a Solone iam datam renovasse dicant; tum Pericles non, quod falso dixit

---

85) De huius verbi usu cfr. Aesch. c. Timarch. §. 21. *μηδ' ἐντὸς τῆς ἀγορᾶς τῶν περιῤῥαντηρίων πορευέσθω.* Cfr. Schol. ad Aesch. contr. Ctes. §. 176: *περιῤῥαντήρια δ' ἐστὶν οἷον τὰ ὕδατα πρὸ τῶν ἱερῶν, ἐν οἷσι περιῤῥαίνονται οἱ μέλλοντες εἰσιέναι τοῖς ἱεροῖς πρὸ τοῦ εὔξασθαι· τὰ δὲ τῆς ἐκκλησίας περιῤῥαντήρια ἦν τὰ ἐκ τοῦ περιστυάρχου γιγνόμενα.*

86) Cfr. Aesch. c. Timarch. §. 29.

87) Cfr. Plut. Per. c. 37: *ἀκμάζων ὁ Περικλῆς ἐν τῇ πολιτείᾳ πρὸ πάνυ πολλῶν χρόνων καὶ παῖδας ἔχων, ὥσπερ εἴρηται, γνησίους νόμον ἔγραψε, μόνους Ἀθηναίους εἶναι τοὺς ἐκ δυεῖν Ἀθηναίων γεγονότας.*

88) Cfr. Bergk, Neue Iahrbücher f. Philol. LXV, p. 384. Schoemann, Antiquitt. Graec. I, p. 359. anno 460 legem a Periele latam esse censet.

89) Cfr. Tittmann. Descript. rer. publ. graec. p. 266.

Tittmannus,[90]) ut lex tolleretur effecit, sed ut populus precibus et rebus adversis eius motus privilegium tribueret filium eius nothum inscribendi in tabulas publicas (*εἰς τοὺς φράτορας*). Itaque quum alia desint exempla, inde vix concludi potest, praetores leges tulisse.

Inter alia negotia praetorum memorantur, quae ad deorum cultum spectant. Ita praetores in theatro, quum fabulae agerentur, deo sollemnia libamina faciebant neque pompis non intererant. Cuius rei unum tantum est exemplum, quantum scio, apud Demosthenem,[91]) qui exprobrat Atheniensibus, quod taxiarchos et praetores, phylarchos et hipparchos non in bellum emitterent, sed operam eorum in pompis faciendis collocarent.

Commemoratur aliud munus praetorum. Ut enim iis custodia totius terrae Atticae commissa erat, ita praetorum erat, ut securitati providerent eorum, quibus a populo Atheniensium id ius praecipuum tributum erat. Fieri enim solebat, ut populus Atheniensium viris bene de republica meritis vel externo regi, quocum foedus iniisset, id beneficium atque privilegium decerneret. Ita legimus,[92]) populum civi cuidam immunitatem praebuisse et praetores securitati hominis providere iussisse. Aliud exemplum exstat in inscriptione, quam Rangabé edidit:[93]) populus decrevit, Arybbae, Molossorum regi, certos honores tribui

ΕΠΙΜΕΛΕΙΣΘΑΙ
ΔΕ ΑΡΥΒΒΟΥ ΟΠΩΣ ΑΜ Μ (η) *ΔΕΝ Α*
ΔΙΚΗΤΑΙ ΤΗΝ ΒΟΥΛΗΝ ΤΗΝ ΑΕ
Ι ΒΟΥΛΕΥΟΥΣΑΝ ΚΑΙ ΤΟΥΣ (σ) *Τ*
ΡΑΤΗΓΟΥΣΤΟΥΣ ΑΕΙ ΣΤΡΑΤΗ
ΓΟΥΝΤΑΣ,

---

90) Cfr. Plut. Cimon c. 8. *ὡς δὲ Κίμων μετὰ τῶν συστρατηγῶν προελθὼν εἰς τὸ θέατρον ἐποιήσατο τῷ θεῷ τὰς νενομισμένας σπονδάς.*

91) Cfr. Demosth. c. Phil. I, §. 26: *οὐκ ἐχειροτονεῖτε δ' ἐξ ὑμῶν αὐτῶν δέκα ταξιάρχους καὶ στρατηγοὺς καὶ φυλάρχους καὶ ἱππάρχους δύο; τί οὖν οὗτοι ποιοῦσιν; πλὴν ἑνὸς ἀνδρὸς, ὃν ἂν ἐκπέμψητε ἐπὶ τὸν πόλεμον, οἱ λοιποὶ τὰς πομπὰς πέμπουσιν ὑμῖν μετὰ τῶν ἱεροποιῶν.* Cfr. schol. ad l.

92) Cfr. Plut. c. 31: *τῷ δὲ μηνυτῇ Μένωνι γράψαντος Γλύκωνος ἀτέλειαν ὁ δῆμος ἔδωκε καὶ προσέταξε τοῖς στρατηγοῖς ἐπιμελεῖσθαι τῆς ἀσφαλείας τοῦ ἀνθρώπου.*

93) Cfr. Rangabé: Antiquités helléniques: Inscriptions attiques, nro. 388. Cfr. ***ΕΦΗΜΕΡΙΣ ΑΡΧΑΙΟΛΟΓΙΚΗ***, *πίναξ* 415.

tum linea 40:

ΕΠΙΜΕΛΕΙΣΘ (αι δ)
Ε ΚΑΙΤΟΥΣ ΣΤΡΑΤΗΓΟΥ (ς οἱ ἄ)
Ν ΣΤΡΑΤΗΓ (ῶ) *ΣΙ ΟΠΩΣΑ* (ρύββα)
Σ ΚΑΙ ΟΙ ΠΑΙΔΕΣ ΑΥΤΟΥ (κτη)
Σ ΩΝΤΑΙΤΗΝΑΡΧΗΝ ΤΗ (ν πατρ)
Ω ΙΑΝ.

Iisdem verbis a populo et senatu viro externo, qui de republica bene meruisset, honores tribuuntur et cura eius praetoribus committitur in inscriptione, quam Rangabé edidit sub nro. 473.

Haec fere sunt munera atque officia, quae domi bellique praetoribus exsequenda erant. Si ea omnia complexi erimus, fatebimur, satis magnam fuisse potestatem praetorum, ita ut mirum non videatur, quod omnibus temporibus is magistratus ambitiose a civibus Atheniensibus petebatur. Propter magnam potestatem, quae penes praetores erat, omnium eorum, quae gerebant, praetores rationem reddere debuisse non solum in *εὐθύνῃ*, sed etiam intra tempus, per quod munere fungebantur, supra vidimus. Attamen fieri non poterat, quin praetores hac vel illa parte potestatis abuterentur. Ita in evocandis civibus ad militiam et in delendis eorum nominibus in catalogo sane suo arbitrio uti poterant atque inde ortae sunt querimoniae, cfr. Aristoph. pac. v. 1179 seqq:

ἡνίκ' ἂν δ' οἴκοι γένωνται, δρῶσιν οὐκ ἀνασχετά,
τοὺς μὲν ἐγγράφοντες ἡμῶν, τοὺς δ' ἄνω τε καὶ κάτω
ἐξαλείφοντες δὶς ἢ τρίς.

Etiam in eo abusi esse videntur praetores potestate, quod rem familiarem augebant. Cuius rei apud Thucydidem exemplum est, [94]) quum Nicias, Atheniensibus dissuadens expeditionem Siciliensem, Alcibiadi exprobret, eum ob id tantum expeditionis faciendae auctorem esse, ut e munere praetoris rem familiarem amplificare atque augere possit. Neque hoc ab Alcibiade abhorruisse, patet ex iis, quae Thuc. VI, 15 dicit: *ἐνῆγε δὲ προθυμότατα τὴν στρατείαν Ἀλκιβιάδης ὁ Κλεινίου, βουλόμενος .... τὰ ἴδια ἅμα εὐτυχήσας χρήμασι τε καὶ δόξῃ ὠφελήσειν.*

Ii vero praetores, qui in munere fungendo nihil commiserant et omnibus officiis iuste ac severe satisfecerant et bene de republica meruerant, publice laudabantur. Eius rei testimonium est in inscriptione, quae legitur in *Ἐφ. ἀρχ.* II. 212:

---

94) Cfr. Thuc. VI, 12 §. 2.

ἐπ] αινέσαι [δὲ καὶ τοὺς .....]
[καὶ τὸ] ν στρατη [γόν].

Etiam corona praetores donati esse videntur. Corona autem pro antiquissimo honoris atque grati animi documento habebatur et iis, qui rem publicam praeclare administraverant, populi decreto tribuebatur, et non raro Athenienses coronam vel aliud praemium dedisse praeclare Boeckhius exposuit.[95] Demosthenes de corona §. 114 auctor est, praetorem coronatum esse: πρῶτον μὲν γὰρ Ναυσικλῆς στρατηγῶν, ἐφ' οἷς ἀπὸ τῶν ἰδίων προεῖτο, πολλάκις ἐστεφάνωται ὑφ' ὑμῶν.[96]

Iam si ad totam conditionem, qua praetores in republica Atheniensium utebantur, animum adverterimus, eam non semper fuisse aequalem cognoscemus. Ea enim aetate, qua res Atheniensium maxime florebant, ad bellum potissimum incumbebant praetores; postea tamen, quum virtus bellica civium Atheniensium diminui et opes reipublicae senescere coepissent, praetores a rebus bellicis magis magisque abalienati eis negotiis sese dederunt, quae cum natura moribusque populi iam ad otium, pacem, luxuriam conversi convenirent. Ita factum est, ut tum temporis praetores in rebus domesticis administrandis magnam vim haberent, quare saepissime oratores et rhetores populum regere scriptores eius aetatis dicunt. Eius rei praeclarum exemplum exstat apud Demosthenem, qui dicit (Olynth. II, §. 29): πρότερον μὲν γάρ, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, εἰσεφέρετε κατὰ συμμορίας, νυνὶ δὲ πολιτεύεσθε κατὰ συμμορίας· ῥήτωρ ἡγεμὼν ἑκατέρων καὶ στρατηγὸς ὑπὸ τούτῳ καὶ οἱ βοηθόμενοι οἱ τριακόσιοι, ubi orator non solum ad symmorias spectat, quibus administrandis rhetor et praetor praefuerint, sed etiam dicit, iis temporibus rhetores et praetores inter se coniunctos alterum alterius partibus favisse. Quod enucleate probat Aeschines, quum dicat (c. Ctes. §. 7): ἃ χρὴ διαμνημονεύοντας ὑμᾶς μισεῖν .... καὶ τοῦθ' ὑμῶν τὸ δίκαιον μηδένα ἀνθρώπων ἐξαιρεῖσθαι, μήτε τὰς τῶν στρατηγῶν συνηγορίας, οἱ ἐπὶ πολὺν ἤδη χρόνον συνεργοῦντές τισι τῶν ῥητόρων λυμαίνονται τὴν πολιτείαν[97] — Iis tandem temporibus, quibus ex Romanorum arbitrio fere tota res publica Atheniensium pendebat et libertate amissa forma tantum et instituta reipublicae manebant, auctoritas praetorum maxime aucta est atque munus eorum sub imperatoribus Romanis fere summum Athenis fuit.[98]

95) Cfr. Boeckh. oecon. Ath. I p. 347 seqq.
96) De eodem Charidemo dicit Demosth. c. Aristocr. §. 151.
97) Cfr. Dem. c. Aristocr. §. 184. Dinarch. c. Demosth. §. 112.
98) Cfr. Corsini: Fasti Attici. t. I p. 40 seqq.

Quum de praetoribus permulta nobis tradita sint, quibus munera eorum plane cognoscere possumus, perpauca tantum habeo quae disputem de minoribus magistratibus et primum quidem de taxiarchis. — Constat decem taxiarchos quotannis a populo esse creatos singulos e singulis tribubus eosque praepositos fuisse hoplitis, [99]) ut dicit Schol. ad Dem. c. Phil. I, §. 26: *ταξίαρχος λέγεται ὁ τῆς πεζικῆς ἄρχων*. E singulis tribubus creatos esse taxiarchos apparet ex Dem. adv. Boeot. d. nom. §. 17: *ταξιαρχῶν τῆς φυλῆς* et ex Aesch. d. f. l. §. 169: *καὶ Τεμενίδου τοῦ τῆς Πανδιονίδος ταξιάρχου* et e Thuc. VIII, c. 92: *ἐν οἷς καὶ Ἀριστοκράτης ἦν ταξιαρχῶν καὶ τὴν ἑαυτοῦ φυλὴν ἔχων*, ita ut de ea re dubitari non possit, si non Iphicrates apud Polyaenum suo arbitrio taxiarchos creasse traderetur. [100]) Res ita videtur explicanda, ut posteriori demum tempore, quum tot mutationes in re militari factae essent et in plerisque rebus a veteribus institutis discederent Athenienses, ius taxiarchorum creandorum a populo ad praetores translatum esse statuamus.

Taxiarchi in bello tribui vel *τάξει* praeerant, ordines militares in acie instruebant, *τάξεις* suas in proelium ducebant. Conf. Lys. pr. Mantith. §. 16. *προσελθὼν ἐγὼ τὸν ταξίαρχον ἐκέλευον τὴν ἡμετέραν τάξιν πέμπειν*. Penes eos erat, ut eorum nomina e catalogo hoplitarum delerent, quorum nomina praetores deleri iusserant. Cfr. Lys. c. Alc. II, §. 5: *κελεύειν* (sc. *τοὺς στρατηγοὺς*) *τὸν ταξίαρχον ἐξαλείφειν ἐκ τοῦ τῶν ὁπλιτῶν καταλόγου*, atque eos milites in ordines instruxisse apparet e Lys. c. Agoratum §. 79: *ὄντε ταξίαρχος εἰς τὴν φυλὴν κατατάξας*. [1])

Etiam consiliis de rebus bellicis habendis eos interfuisse Thucydides narrat VII, 60; quum autem addat, *ξυνελθόντες „πρὸς τὴν παροῦσαν ἀπορίαν“*, taxiarchi non nisi rebus afflictis ad consilia adhibiti esse videntur; ceterum praetores soli de rebus gerendis deliberabant, ut Nicias, Alcibiades, Lamachus apud Thuc. VI, 47 seqq. Alia eorum cura erat, ut in caussis diiudicandis, quae ad bellum spectabant, praetores adiuvarent et *παρεδρίας* quasdam haberent, atque in eligendis militibus praetoribus adessent. Taxiarchorum potestas latius patuisse non videtur, nisi quod sicuti praetores in militibus conscribendis facile magis suo arbitrio uti poterant. Eos plures deinceps annos munere functos esse, atque aeque ac praetores *ἐπιχειροτονίαν* et *εὐθύνην* subiisse vix dubitari potest, quamquam, quod scio, certa de ea re testimonia tradita non sunt. —

---

99) Cfr. Pollux VIII. §. 94. Sigonius de republica Ath. libr. III. c. 5. Dem. c. Phil. I. §. 26.

100) Cfr. Polyaen. strategik. III. 9, §. 10.

1) Cfr. eiusdem orationis §. 82. *καὶ εἴ τις αὐτὸν ταξίαρχος εἰς τάξιν τινὰ κατέταξεν.*

Praeterea commemorantur apud Polyaenum[2]) χιλίαρχοι, πεντακοσίαρχοι, ταξίαρχοι, λοχαγοί, [3]) et apud Pollucem ἑκατόνταρχοι, δεκάδαρχοι, πεντάδαρχοι, de quibus tamen nihil constat, nisi quod Polyaenus l. l. narrat, praetorem suo arbitrio illa munera ad eos, qui dignissimi ei esse viderentur, detulisse. Minores eos magistratus in comitiis non esse creatos crediderim, quia munera eorum minoris erant momenti et non nisi manu fortibus tributa esse videntur, quos praetorem solum spectare potuisse apparet.

De partibus, in quas divisus fuerit exercitus Atheniensium.

De partibus quoque exercitus Attici pauca tantum sunt tradita. Quantam vim habuerint instituta Clisthenis, qui totam civitatem in decem tribus distribuerat, in hac quoque re cognoscimus. Ut enim fere in omnibus rebus administrandis ille numerus servabatur, ita in dividendo exercitu eius ratio habebatur. Non solum militum delectus *κατὰ φυλὰς* habebatur, ita ut e singulis tribubus cives ad militiam evocarentur, sed etiam in eandem *τάξιν* inserebantur omnes, qui ex una tribu ad expeditionem faciendam evocati erant. Antiquissimum eius rei exemplum invenitur apud Herodotum in descriptione pugnae Marathoniae. Ibi narratur, polemarchum dextrum cornu tenuisse cumque eo tribum, cuius erat tribulis (*φυλέτης*), et tum tribus ceteras [4]) sese excepisse eo ordine, quo numerabantur, ita ut tribus tribu continuaretur. Apud Thucydidem quoque legimus, unam tribum certam quandam effecisse partem hoplitarum. Exemplum, quod in acie instruenda decem tribus distinctas fuisse luculenter docet, exstat apud Xenophontem, (Hellenica IV, 2, 19) qui narrat: *καὶ οὕτω πολὺ ὑπερέτεινον τὸ κέρας, ὥστε τῶν Ἀθηναίων αἱ μὲν ἓξ φυλαὶ κατὰ τοὺς Λακεδαιμονίους ἐγένοντο, αἱ δὲ τέτταρες κατὰ Τεγεάτας.* Hic non solum de equitibus cogitandum esse (quos secundum ordinem tri-

---

2) Cfr. Polyaen. *στρατηγικ.* III, 9, §. 10. Schoemann. antiquitt. iur. publ. Graec. p. 253. Nr. 23—25.

3) Cfr. Her. IX, 21: *καὶ Ἀθηναίων οἱ τριηκόσιοι λογάδες, τῶν ἐλοχήγεε Ὀλυμπιόδωρος ὁ Λάμπωνος.* Isaei or. IX, §. 14: *ὅπουπερ αἰσθάνοιτο στράτευμα συλλεγόμενον, ἁπανταχῇ ἀπεδήμει λοχαγῶν.*

4) Legendum videtur *αἱ ἄλλαι φυλαί* cum Valla, qui in latina metaphrasi exhibet: ceterae tribus. Quod eo magis placet, quia tum ceterae tribus opponuntur tribui Callimachi polemarchi, quam in dextro cornu stetisse Plutarchus quoque auctor est: Moral. p. 628.

buum divisos fuisse apparet inde, quod decem erant φύλαρχοι, id est tribuum duces) quum pateat per se, firmatur loco Thucydideo comparato, in quo ὁπλιτῶν quoque φυλή nominatur. Idem probat Lysias pr. Manth. §. 15: καὶ μάλιστα τῆς ἡμετέρας φυλῆς δυστυχησάσης καὶ πλείστων ἐνθανόντων et iis verbis, quae proxime sequuntur: προσελθὼν ἐγὼ τὸν ταξίαρχον ἐκέλευον ἀκληρωτὶ τὴν ἡμετέραν τάξιν πέμπειν, unde patet, φυλὴν τάξιν nominatam esse. Milites per tribus divisos in acie incessisse, inscriptionibus firmatur, quae catalogos bello caesorum continent. Inventae enim sunt Athenis vel prope Athenas complures tabulae inscriptae nominibus et haut paucae ex iis in Ceramico, ubi mortuos sepultos esse scimus. Quibus tabulis nomina bello caesorum contineri, Boeckhius luculenter exposuit in Corp. Inscr. Gr. ad nr. 165. Hac inscriptione traduntur nomina circiter CLXX caesorum, ἐν Κύπρῳ, ἐν Αἰγύπτῳ, Φοινίκῃ, Ἁλιεῦσιν, Αἰγίνῃ, Μεγαροῖ τοῦ αὐτοῦ ἐνιαυτοῦ (est autem annus archontis Bionis Ol. LXXX, 3 = 458 a. Chr. n.), qui erant omnes e tribu Erechtheide. Superscriptum enim est Ἐρεχθηΐδος et tum sequuntur nomina. Porro inscriptione 172 catalogus caesorum servatus est e quatuor tribubus, quarum ordo is est, quem Clisthenes instituit: Κεκροπίδος, Ἱπποθωντίδος, Αἰαντίδος, Ἀντιοχίδος. Accedit inscriptio 168b, in qua duae columnae distinguuntur, quarum altera continet nomina mortuorum e tribubus Erechtheide et Aegeide, altera ex Hippothontide et Aeantide, octavae et nonae. Quum autem inscriptio sit mutila, res ita instituenda videtur, ut ceterarum tribuum nomina intercidisse dicamus. In inscr. 169, 171, 172 nomina caesorum traduntur et semper ordo tribuum servatus est. Itaque hac quoque re firmari videtur, quod diximus, tribum vel τάξιν certam partem exercitus effecisse. Difficilior est quaestio, num ratio aliqua intercesserit inter demos Atticos et minores partes exercitus. Id ita fuisse consequi videtur ex iis, quae legimus apud Isaeum in or. περὶ τοῦ Μενεκλέους κλήρου §. 42: καὶ τὰς στρατείας ἐστράτευμαι ἐν τῇ φυλῇ τῇ ἐκείνου καὶ ἐν τῷ δήμῳ, et eo quod apud Lysiam pr. Polystr. §. 23 δημόται testes evocantur stipendiorum, quae ab aliquo homine facta sint: πρῶτον μὲν γὰρ ὅσων οὐδεμιᾶς στρατείας ἀπελείφθη, ἀλλ' ἐστρατεύετο, ὡς συνειδότες ἂν εἴποιεν οἱ δημόται. Iam apud Platonem legimus, [5]) Socratem et Alcibiadem una stipendia meruisse contra Potidaeam ibique una coenasse. Socratem et Alcibiadem una militasse, ex aliis quoque locis patet. [6]) Constat autem So-

---

5) Cfr. Plat. sympos. p. 219 E: καὶ μετὰ ταῦτα στρατεία ἡμῖν εἰς Ποτίδαιαν ἐγένετο κοινὴ καὶ συνεσιτοῦμεν ἐκεῖ.

6) Cfr. Plat. apolog. Socrat. p. 28 E. Charmid. p. 153, A. C.

cratem fuisse e demo Alopece tribus Antiochidis [7]) et Alcibiadem e demo Scambonidarum tribus Leontidis. [8]) Homines diversorum demorum et tribuum in bello illo modo inter se coniunctos esse, non convenire videtur cum iis, quae antea statuimus. Quin etiam Plutarchus narrat, [9]) Alcibiadem Socratem habuisse contubernalem et prope eum in acie stetisse, quod vel magis repugnat iis, quae de distributione militum per tribus cognovimus. Quomodo haec res diiudicanda? Ante omnia tenendum est, Platonem et Plutarchum non idem narrare; Plato enim refert, expeditionem in Potidaeam Socrati et Alcibiadi fuisse *κοινήν* vel communem, Plutarchus Alcibiadem adolescentem militasse contra Potidaeam et Socratem habuisse contubernalem et prope eum stetisse in acie. Iam constat, in omnibus, quae ad Socratis et vitam et naturam moresque et doctrinam pertinent, Platonem auctorem esse gravissimum eique summam fidem habendam; itaque de iis, quae de expeditione dicit, dubitari nequit. Socrates et Alcibiades a praetoribus ad stipendia contra Potidaeam merenda evocati sunt, scilicet cum sua quisque tribu et demo. Quod vero narratur, Alcibiadem et Socratem ibi *συσσιτεῖν*, id est una coenasse, scimus Athenienses non statim Potidaeam cepisse, [10]) sed per aliquod tempus eam obsedisse. Quid igitur obstat, quominus Socratem et Alcibiadem, quum per longius tempus in castris essent, ibi quoque ea usos esse necessitate ac familiaritate credamus, qua iam antea inter se coniuncti fuerant? Profecto non ea usi sunt Athenienses severitate in castris, ut non, quantum per vacationem liceret, liberiore vita uti potuissent milites. Itaque ea, quae Plato narrat, non turbant ordinem supra expositum. Paullum aliter sese habent, quae Plutarchus memoriae tradidit, de qua re sic sentio. Ut Alcibiadem bonis et corporis et animi maxime omnibus praecellentem totus populus Atheniensium admirabatur, ita Socrates omnium oculos et animos in sese convertit. Et quum antea prorsus contrarii inter se esse viderentur, qua censes imbutos fuisse Athenienses admiratione videntes adolescentem familiarissime uti philosopho, totum ad eius amicitiam se conferre, una cum eo coenam facere, cum eo palaestram frequentare? Itaque ea necessitas, qua erant coniuncti homines tam excellentes et diversi, semper in ore omnium vivebat et vigebat, atque imprimis posterioribus temporibus eo maiorem admirationem hominum excitavit,

7) Cfr. Diog. Laert. II, 18: *Σωκράτης Σωφρονίσκου .... Ἀθηναῖος τῶν δήμων Ἀλωπεκῆθεν.*

8) Cfr. Plut. Alcib. c. XXII: *Θεσσαλὸς Κίμωνος Λακιάδης Ἀλκιβιάδην Κλεινίου Σκαμβονίδην εἰσήγγειλεν.*

9) Cfr. Plut. Alcib. c. VI.

10) Cfr. Thuc. I, 61 seqq.

quo minus eorum animi ad talia imitanda propensi erant. Itaque ea quae scriptores posterioris aetatis narrant, amplificata atque aucta esse facile apparebit, ita ut Plutarcho quoque in hac re minor fides habenda sit. Acquiescamus in iis, quae Plato memoriae tradidit, quibus ordinem per tribus et demos constitutum in acie instruenda non turbari videmus.

Sed quomodo rem institutam fuisse credamus, quum in tribubus in alia alium fuisse numerum demorum sciamus, partes autem exercitus aequales et constantes fuisse necesse sit? Ita Erechtheidis tribus duodecim vel tredecim demi erant, Aegeidis viginti duo, Pandionidis quatuordecim, aliarum tribuum alius numerus demorum, et secundum diversum numerum eorum etiam *τάξεων* partes in exercitu diversas fuisse, num credibile est? Quum autem *τάξεις* in *λόχους* distributae essent, in iis componendis demorum ita rationem esse habitam putaverim, ut demorum socii iuxta starent. Quot milites *λόχος* amplexus sit, ideo statuere non possumus, quia militum *ἐν τάξει* unaquaque haut certus fuit numerus. Pro magnitudine belli numerus militum, qui e quaque tribu ad *τάξιν* formandam conscribebantur, diversus erat ideoque et *λοχῶν*. Koechly et Ruestow [11]) rem ita institutam fuisse putant, ut in singularum tribuum distributione trittyarum ratio habita sit. At primum trittyarum non nisi in muneribus publicis praestandis ratio habita esse videtur, [12]) tum quae de minoribus exercitus partibus, *δεκάδεσι* et *πεντάδεσι*, tradita sunt parum cum ea distributione conveniunt. Bello Peloponnesiaco ineunte numerus hoplitarum, qui ad bellum proficiscebantur, tredecim milia erat, ut quaeque tribus mille trecentos miserit, quorum tertia pars *λόχον* effecit. Etiamsi is numerus summus fuit atque rarissime tantum *τάξεις* eo multitudinis auctae sunt, ut potius medius numerus sexcenti fuerit, tamen nimis magnum discrimen intercedere videtur inter eas partes et minores, quae vocantur *δεκάδες* et *πεντάδες*. Si in tribubus quoque sive *τάξεσι* dividendis numerum decem valuisse statuimus, *λόχοι* amplecti solebant sexagenos milites, qui ex ordine demorum, quantum fieri potuit, in eos inserebantur; itaque *δέκας* sexta erat pars lochi, *πέντας* dimidia pars *δέκαδος*.

---

11) Cfr. Koechly et Ruestow: Griech. Kriegswesen. p. 96. 97.

12) Cfr. Aesch. c. Ctesph. §. 30: *ἐπειδὰν δ᾽ ἀφέλῃ τις τοὺς ὑπὸ τοῦ δήμου κεχειροτονημένους καὶ τοὺς κληρωτοὺς ἄρχοντας, καταλείπεται, οὓς αἱ φυλαὶ καὶ αἱ τριττύες καὶ οἱ δῆμοι ἐξ ἑαυτῶν αἱροῦνται τὰ δημόσια χρήματα διαχειρίζειν, τούτους αἱρετοὺς ἄρχοντας εἶναι.*

De stipendio et aerario militari.

Ab antiquissimis temporibus usque ad bellum Peloponnesiacum milites sine stipendio militaverunt et suo sumptu arma et victum paraverunt. Periclem primum civibus militantibus stipendium dedisse auctor est Ulpianus ad Demosth. *π. συντάξεως*: *πρῶτος γὰρ ἐκεῖνος ἔταξε μισθοφορὰν καὶ ἔδωκε τῷ δήμῳ στρατευομένῳ.* [13]) Initio belli Peloponnesiaci milites, qui Potidaeam obsidebant, cotidie duas drachmas, alteram sibi, alteram servo, acceperunt, unde *δίδραχμοι* nominantur. Ita Thucydides III, 17 narrat: *τήν τε γὰρ Ποτίδαιαν δίδραχμοι ὁπλῖται ἐφρούρουν (αὑτῷ γὰρ καὶ ὑπηρέτῃ δραχμὴν ἐλάμβανε τῆς ἡμέρας).* Id tamen stipendium maius fuisse videtur, quam quod postea dari solebat; posteriori enim aetate miles gregarius duos obolos accipiebat *μισθὸν* vel stipendium, et duos obolos unde victum sibi pararet, *σιτηρέσιον.* Cfr. Demosth. c. Philipp. I, §. 28: *ἵνα δέκα τοῦ μηνὸς ὁ στρατιώτης δραχμὰς σιτηρέσιον λαμβάνῃ*, unde apparet, *σιτηρέσιον* cotidianum fuisse duos obolos. [14]) Lochagos duplex stipendium militis gregarii accepisse, praetores quadruplex, narrat Xenophon in Anab. VII, 6, 1. Videmus igitur, antiquitate discrimen inter militem gregarium et ducem non tantum fuisse hac in re quam hodie. Et *μισθὸν* et *σιτηρέσιον* a praetoribus distributum esse militibus, in eorum muneribus enumerandis commemoravimus.

Iam videamus, unde pecuniae ad bella gerenda desumptae sint, [15]) in qua re discernenda sunt tempora ante Euclidem et post Euclidem, qui archon erat Ol. 94, 2 = 403. Vectigalia reipublicae Atheniensium ab Xenophonte mille talenta, ab Aristophane mille ducenta cotannis fuisse narratur; maximam eorum partem effecisse videntur tributa sociorum, ex quo hegemonia apud Athenienses erat. Ad quae tributa administranda magistratus *Ἑλληνοταμιῶν* [16]) constitutus erat, et pecuniae primum Deli

---

13) Cfr. Plat. Pericl. c. 9: *ἄλλοι δὲ πολλοὶ πρῶτον ὑπ' ἐκείνου φασὶ τὸν δῆμον ἐπὶ κληρουχίας καὶ θεωρικὰ καὶ μισθῶν διανομὰς προαχθῆναι.* Cfr. Plat. Georg. p 515 E: *ταυτὶ γὰρ ἔγωγε ἀκούω, Περικλέα πεποιηκέναι Ἀθηναίους ἀργοὺς καὶ δειλοὺς καὶ λάλους καὶ φιλαργύρους, εἰς μισθοφορίαν πρῶτον καταστήσαντα.*

14) Cfr. Theopomp. *Στρατιωτίδες* ap. Pollucem IX, 64:

καίτοι τίς οὐκ ἂν εἰκὸς εὖ πράττοι τετρωβολίζων
εἰ νῦν γε διώβολον φέρων ἀνὴρ τρέφει γυναῖκα,

ubi duo oboli ad mercedem referendi sunt.

15) Cfr. Böckh: oec. Athen. I. p. 241 seqq.

16) Cfr. Poll. VIII, 114. *Ἑλληνοταμίαι οἱ τοὺς φόρους ἐκλέγοντες καὶ ἐπὶ νήσων τὰ παρὰ τῶν νησιωτῶν εἰςπράττοντες καὶ τὰς πολιτείας αὐτῶν ἐφορῶντες.* Cfr. Thuc. I. 96. Andocid. d. pace §. 38.

tum Athenis depositae erant. Tributa illa ab Aristide constituta esse scimus sub nomine *φόροι* et primo quidem ad exercitum et classem contra Persas, postea contra omnes hostes comparanda. Quum autem sociorum opes decrescerent, Atheniensium augerentur atque amplificarentur, et aerarium Delo Athenas esset translatum, populus, sociorum salute neglecta, in suum tantum commodum eas consumere coepit, ita ut in aedibus aedificandis et festis celebrandis eas collocaret, quae supererant praefectis aerarii deae Minervae in arce traderet. [17]) Ita fieri poterat, ut in gravibus et longis bellis gerendis pecuniae in aerario Hellenotamiarum deficerent et opes deae in bellis consumerentur, et ea de causa vel Hellenotamiis vel praetoribus ipsis darentur. Ita in C. I. Gr. nr. 147 [18]) legimus: *ταμίαι ἱερῶν χρημάτων τῆς Ἀθηναίας παρέδοσαν . . . ἐπὶ τῆς Αἰαντίδος πρυτανευούσης Ἑ[λλη]νοταμίαις παρεδόθη, — ἵπποις σῖτος ἐδόθη*, porro sub tertia prytania: *ἕτερον τοῖς αὐτοῖς Ἑλληνοταμίαις ἐς τὴν διωβελίαν.* De diobolia iam disputavimus, id est de stipendio duorum obolorum, quod militibus gregariis dari solebat; de pecunia, quae equitibus statuta erat, alio loco agendum erit. Hellenotamiae igitur pecunias a *ταμίαις τῶν χρημάτων ἱερῶν τῆς θεοῦ* acceptas in aerario deponebant easque in belli usum convertebant. Nonnunquam a praefectis sacrarum deae pecuniarum ipsis statuitur, ad quamnam expeditionem Hellenotamiis pecunia solvatur, ut C. J. Gr. 147 sub tertia prytania:

ἕτερον τοῖς αὐτοῖς Ἑλληνοταμίαις Ἕρμωνι ἐδόθη ἄρχοντι ἐς Πύλον,

id est ad expeditionem Pylum faciendam. Hermonem autem praepositum fuisse exercitui, apparet et ex verbo, quod est appositum „*ἐς Πύλον*“ et ex iis quae Thucydides VIII, 92 narrat: *ξυνελάβοντο δὲ αὐτοῖς ἅμα καὶ ἄλλοι καὶ Ἕρμων τις τῶν περιπόλων τῶν Μουνυχίασι τεταγμένων ἄρχων.* Confer, quae sub sexta prytania leguntur: *ἐν δεκάτῃ τῆς πρυτανίας Ἑλληνοταμίαις παρεδόθη, Προξένῳ Ἀφιδναίῳ καὶ ξυνάρχουσιν, στρατηγῷ ἐξ Ἐρετρίας Εὐκλείδῃ.* His igitur inscriptionibus demonstratur, praefectos aerarii deae Hellenotamiis pecunias solvisse, Hellenotamias praetoribus. Nonnumquam praefecti ipsis praetoribus pecunias dabant, cuius rei exstant exempla in inscriptionibus. Cfr. Rang. Antiqq. hellén. 115: *ταμίαι ἱερῶν χρημάτων τῆς Ἀθηναίας παρέδοσαν στρατηγοῖς ἐς Κέρκυραν τοῖς δευτέροις ἐκπλέουσι* et quae sequuntur. [19])

---

17) Cfr. Böckh. Oecon. Athen. II, p. 31 a, 6: *παραδοῦνα]ι τοὺς Ἑλληνοταμίας καὶ τ[οὺς παρέδρους τοῖς ταμίαις τῆς] θεοῦ.*

18) Cfr. Böckh. Oec. Athen. I, p. 2 seqq.

19) Ad rem cfr. Thuc. I, 24—45.

Ea autem aetate, quae post Euclidem id est post Ol. 93, 2 incipit, commemorantur, raro tamen, *ταμίαι στρατωτικῶν*, qui loco Hellenotamiarum suffecti esse videntur. Exemplum exstat in Ephem. archaeolog. Nr. 339, quam inscriptionem Boeckhius (Oec. Athen. I p. 246,) ita supplet:
εἰς δὲ τὴν ἀναγραφὴ [ν καὶ τὴν ἀνάθε]σιν τῆς στήλης μερίσαι τὸν ταμίαν τῶν στρατι]ωτικῶν καὶ τοὺς ἐπὶ τῇ διοικήσει τὸ γε[νόμενον ἀνάλω]μα. Confer Eph. arch. inscr. 491. Iam quaerendum est, unde pecuniae ad bella gerenda congestae sint. Quum enim bello Peloponnesiaco finito hegemonia ab Atheniensibus ad Lacedaemonios translata esset, tributa sociorum, etiamsi non plane solvi desierunt, tamen valde minuta sunt, quare aliunde auxilium petebant Athenienses. Ac primum quidem apud Pseudo-Demosthenem adv. Neaer. §. 4 legimus, lege statutum esse, pecunias, quae superessent ex iis, quae in tota republica administranda collocarentur, in bellis gerendis consumi: *κελευόντων μὲν τῶν νόμων, ὁπόταν πόλεμος ᾖ, τὰ περιόντα χρήματα τῆς διοικήσεως στρατιωτικὰ εἶναι.* Ad easdem pecunias spectant, quae Demosth. dicit in or. Olynthiaca I, §. 19: *ἔστιν χρήματα ὑμῖν, ἔστιν ὅσα οὐδενὶ τῶν ἄλλων ἀνθρώπων στρατιωτικά.* [20]) Quominus tamen in usu militari collocarentur, impedivit aliud, quod toti oeconomiae Atheniensium summae erat perniciei, *τὰ θεωρικά.* Quae ab Pericle instituta esse scimus, quo faciliorem plebi redderet aditum ad ludos publicos spectandos, et dabantur ex iis, quae restabant e tributis, quae Hellenotamiae administrabant. Postea autem republica restituta post Euclidem, quum magistratus: *ὁ ἐπὶ τῷ θεωρικῷ* constitutus esset, quamquam tributa minuta erant, eo perniciei ventum est, ut non solum ad ludos spectandos, sed etiam ad dies festos celebrandos, ad magnas coenas faciendas pecunia populo daretur ex aerario. Inde facile intelligitur, opes reipublicae, quae in bella gerenda conferri debebant, debilitatas ac fractas esse. Inter eos, qui perniciem a republica avertere vellent, Apollodorus erat, quem Demosth. adv. Neaer. §. 4 legem tulisse narrat: *διαχειροτονῆσαι τὸν δῆμον, εἴ τε δοκεῖ τὰ περιόντα χρήματα τῆς διοικήσεως στρατιωτικὰ εἶναι εἴτε θεωρικά.* Et quamquam lex tum perlata est, [21]) brevi post, qui tulerat, talento multatus est. Dubitatur, num alii rogationem

20) Cfr. Demosth. Olynth. III. §. 11.

21) Non recte Westermann ad Olynth. I. §. 11 adnotat, populum illam rogationem antiquavisse. Nam in orat. adv. Neaer. §. 15 Demosthenes dicit: *γενομένης γὰρ τῆς διαχειροτονίας οὐδεὶς ἀντεχειροτόνησεν.* Postea demum Apollodorus a Stephano *παρανόμων* accusatus et multatus est.

